BIBL. NAZ.
VITT. EMANUELE III
148
N
36
NAPOLI

Digitized by Google

101.

Digitized by Google

LAURENTII MEDICIS
MAGNIFICI
VITA

Digitized by Google

LAURENTII MEDICIS
MAGNIFICI
VITA

AUCTORE

ANGELO FABRONIO

ACADEMIAE PISANAE

CURATORE

VOL. I.

PISIS MDCCLXXXIV.

EXCUDEBAT JACOBUS GRATIOLIUS

SUPERIORIBUS ANNUENTIBUS.

Digitized by Google

IMPERATORI
CAESARI JOSEPHO II.
AUGUSTO

VItam Laurentii Medicis, qui ſui ſaeculi facile princeps fuit, Tibi nun-

Digitized by Google

cupo, potentiſſime CAESAR, quod Te in primis aetas noſtra glorietur, quodque nihil tam arcte copulari videatur, quam magnae Imperantium virtutes, feliceſque illorum conatus ad immortalitatem conſequendam.


Devotus Nomini Majestatique Tuae
ANGELUS FABRONIUS.

L E C T O R I

P*Aucis praefari libet. Facturus ne operae pretium ſim, ſi res geſtas & mores explicavero Laurentii Medicis, haud ſatis ſcio. Multi quidem extiterunt, qui de illo ſcripſere, ſed perpauci ſeparatim, hique ita jejune, ut non arrogantiae coarguendus ſim, ſi rerum copia, ſcribendique arte eos me ſuperaturum confidam. Magnae profecto gloriae Laurentio fuiſſet, ſi ad nos uſque perveniſſent, quae de illius vita multis millibus verſuum ſcripſiſſe Michaelem Brutum epiſtola quadam teſtatur Paullus Manutius. Nam quamvis ille non admodum eſſet Mediceis amicus, ſuſpexit tamen ſemper in Laurentio nobilitatem & magnitudinem animi, ſingularemque prudentiam, qua conſuluit gloriae Florentinae Reipublicae iis temporibus, quibus diſſidentes cives, deditique luxui atque libidini eo pervenerunt, ut nec vitia nec remedia pati amplius poſſe viderentur. Sed haec & his ſimilia dum nos explicabimus, utcumque judicata erunt, non magnopere laborabimus, ea gloria*

Digitized by Google

contenti, quod in narrandis rebus incorrupta rerum geſtarum monumenta ſecuti fuerimus. Ex his ſecundum operis volumen conflabitur; quodque eorum pleraque aſſerventur in Florentino tabulario, quod Mediceum vel Segreteria Vecchia *appellari ſolet, quae nominamus volumina, ſeu* Filze, *ad illud ſpectare exiſtimabis. Quod ad numerandi annos modum, pauci nunc ignorant Florentinis olim in more fuiſſe ab Incarnatione, hoc eſt ab VIII. Kal. Apriles anni initium ſumere. Nos hunc morem retinuimus in monumentis, minime vero in hiſtoria. Reliquum eſſet, ut de genere pecuniae, ac praeſertim de Florenis, quibus Florentini utebantur aetate Laurentii, varioque illorum pretio pauca dicerem, niſi res multis ſane involuta difficultatibus omnino a doctis viris illuſtrata fuiſſet, maximeque a Jo. Franciſco Pagninio, cui, ut & Ranuccio Galutio plurimum me debere profiteor, quod cum alter Reipublicae Florentinae, alter Mediceae familiae tabulariis praeſint, vel occultiſſima pro illorum ſingulari humanitate patefacere mihi non dubitarunt. Vale.*



LAURENTII MEDICIS

M A G N I F I C I

V I T A

LAurentius Medices, cujus vitam ſcribendam ſuſcipimus, vir magnus ille quidem fuit, & ſui ſaeculi facile princeps, qui cum omnia ſumma eſſet aſſecutus, dubium fecit, utrum in eo fortuna virtutem, an virtus fortunam anteierit. Felicitas profecto propria Mediceae familiae eſſe videbatur, ut vel iis temporibus,

quibus a Mugellano agro Florentiam primum conceſſit, obtinuerit vel equeſtris ordinis inſignia, vel ordinarios liberae civitatis honores, qui communes erant multis patriciis, hiſque antecelluerit gratia, divitiis, conſanguineorum numero (1) aliiſque nominibus, quae futuram ejus potentiam amplitudinemque praenuntiabant. Hae maxime apparuere in Coſmo Laurentii avo, qui egregiis virtutibus, magnitudineque praeſertim animi, magnificentia atque liberalitate omnino ſingulari eo pervenit, ut ſummis regibus aequaretur. Quamobrem etſi ab omnium hominum ordinibus ac praeſertim populo (fuit enim Mediceorum gens ſemper popularis) benevolentiam ſummam mature collegit, non effugit tamen quorumdam potentiorum civium invidiam, quod vitium fuit ſemper parvis magniſque civitatibus commune. Ac ii quidem ſpargere in vulgus ea, quae a Coſmo gerebantur, ad opprimendam libertatem pertinere, potentiam nunquam ſatis fidam ubi nimiam, & ſpecie libertatis tuendae augendaeque Reipublicae dignitatis, crudeliſſimae tyrannidis ſemina ſpargi. His ſermonibus paullatim labefactatus in publica vincula conjicitur; & ſi valuiſſet ſententia Raynaldi Albitii aliorumque, qui plus irae ſuae, quam utilitati communi parebant, vel morte in hominem, qui non modo Reipublicae Florentinae, ſed & univerſae Italiae decus & dignitatem ſuſtinere videbatur, ſaevitum fuiſſet. Ipſe vero, licet vitae pe-

Digitized by Google

riculo ereptus, injuria tamen & iniquitate adverſariorum exilio mulctatus eſt, quod ad levandam invidiam ſedandaſque iras ſibi expedire putavit. Itaque Patavium primo, mox Venetias cum Laurentio fratre venit, ubi ita exceptus fuit, ut nemo tam ferus extiterit, quin ejus caſum lacrimarit, inimicumque iis ſe oſtenderit, quorum opera ille patria pulſus fuerat. Non multo poſt ſecuta ſunt tempora pacatiora, & aequiſſimis hominibus ad gubernacula Reipublicae ſedentibus, incredibili ſtudio atque pudore totius civitatis in patriam revocatus fuit. Tum vero novis reſtituta legibus Republica, perniciosis vel ſuſpectis civibus Senatu motis, aut patria expulſis, probitas bonaeque artes in pretio eſſe coeperunt. Ab eo profecto tempore Florentini ejuſdem divini hominis conſilio ſaepe pro communi pace, pro patria libertate amplitudineque imperii feliciter bella geſſerunt, privatas opes auxerunt, urbemque eximiis nobiliſſimarum artium ornamentis illuſtrarunt. Vixit Coſmus ad ſummam prope ſenectutem integra auctoritate ac florenti ſemper gloria recte atque feliciter adminiſtratae Reipublicae, quam laudem praeclara morte cumulavit, quod Pater Patriae, antequam e vita decederet, decreto publico fuerit appellatus, idque ad immortalitatem nominis marmoreo ejus tumulo inſcriptum (2). Poſt ejus exceſſum ſuſcepit Rempublicam Petrus illius filius, qui quamvis extolleretur magnificentia & opibus paternis, cunctiſque privatum modum

Digitized by Google

ſupergreſſis, multum tamen abfuit a parentis gloria. Non admodum valebat conſilio atque ingenio, & cum abeſſent ab eo virtutes, quae in animi magnitudine ac robore poſitae ſunt, in quibus maxime ambitio & potentia Coſmi niti videbantur, ad multorum periculorum caſus ejus vita objecta fuit. Faverat tamen in hoc ei fortuna, quod ex Lucretia Tornabonia femina primaria (3) Laurentium & Julianum filios ſuſcepit, quorum alter Kal. Januarii an. MCCCCXLVIII. (4), alter quinquennio poſt editus in lucem fuit. Summo ſtudio parentum in pueritia ita doctus fuit Laurentius, ut eſſet aliquando in ipſo mirifica illa dicendi & intelligendi ſocietas. Fuit etiam exercitatus in geometria & muſica, cujus ſtudium tota vita coluiſſe & in illo ſaepe levamenta curarum inveniſſe videtur. Divina quadam celeritate ingenii rerum, quae ad mores hominum, quae ad vitam, quae ad virtutem, quae ad rempublicam pertinent, cognitionem & ſcientiam brevi comprehendit, nec ſolum in virtute noſcenda, ſed etiam exequenda plurimum verſatus eſt. Fundamenta vel in pueritia jeciſſe videtur ejus laudis & gloriae, ob quas ei *Magnifici* nomen inditum fuit. Nam mira erat liberalitate in omnes, ac praeſertim in pauperes, ſicque dolenter accipiebat humanarum miſeriarum caſus, ut nihil luctuoſius putaret afflicta & proſtrata virtute. Cum vix a latere diſcederet praeceptoris ſui Gentilis Urbinatis viri & doctrinae & mo-

rum laude inſignis (5), quem poſtea Aretinae Eccleſiae praeficiendum curavit, cum illo celeberrima urbis templa obibat, & noctu etiam frequentabat S. Paulli ſodalitium quo plurimi conveniebant, Deum ſacrificiis, precibus, vigiliis aliiſque corporis afflictationibus placaturi. Hae illi pueriles deliciae fuere, & cum matris cura lectiſſimae & religioſiſſimae feminae nil niſi pudicum & ex praeclaro exemplo & ſanctiſſima diſciplina domi videret, jam tum praeſtare omnibus in virtutis amore judicabatur. Quo magis ſibi vigilandum ac laborandum Lucretia putavit, ut optimi mores, quaſi herba irrigua, ſuccreſcerent uberrime. Ejus conſilio Laurentius puellas ex egenorum familiis in matrimonium collocare, ſacris virginibus, quarum Florentiae ſunt coenobia plurima, aliiſque indigentibus ſuccurrere, amicos aere alieno obſtrictos liberare, cum illum pecuniae fructum eſſe maximum cenſeret, de multis bene mereri. Nunquam cum collati beneficii poenituit, cumque praeſertim ſanguine conjunctos cuperet ornare, effecit ut matris fratres, iis ſibi ad multa negotia ſociis adjunctis, ampliſſimo ditarentur patrimonio. Quaedam etiam ejus magnifica munera commemorantur; reprehendentique paedagogo, quod pro equo (nam vel a pueritia equorum ſtudioſiſſimus, & equitandi peritiſſimus fuit) ſibi ex Sicilia dono miſſo triplum aut quadruplum dediſſet, nihil tam glorioſum, tamque regium eſſe reſpondit, quam

liberalitate omnes vincere. Omnino in ejus natura & moribus ineſſe videbantur virtutes illae, quae in quadam comitate & beneficentia ſunt poſitae; & non efferre ſe in poteſtate, non eſſe inſolentem in pecunia, non ſe praeferre aliis propter abundantiam fortunae, ut opes & copiae non ſuperbiae viderentur ac libidini, ſed bonitati ac liberalitati facultatem & materiem dediſſe, non admirationis minus quam jucunditatis in tam corrupto ſaeculo habebat. Praemium vero ſe conſecutum eſſe ampliſſimum ſuae liberalitatis Laurentius gaviſus eſt, quod adoleſcens & *Magnifici* & *Magnanimi* cognomen omnium conſenſu obtinuit. Edidit & ſpectacula ſplendidiſſima, non tam ut moribus ſuorum temporum ſerviret, quam ut Florentinorum animos gloriae deſiderio accenderet. Conveniebant autem ad ea ex univerſa fere Italia ſtrenui & nobiles adoleſcentes, quibuſcum ita certavit in illis equeſtribus haſtatorum ludis, ut non ſemel victor diſceſſerit. Valebat enim corporis viribus, & quamvis membra in eo eſſent toroſa, non carebant tamen agilitate, quam continuae exercitationes augebant. Profecto nihil tam oderat, quam torpere ceſſatione & otio, & cum incurreret in adoleſcentes indoctos incultoſque, quibus cum eſſet corpus voluptati, anima oneri, vitam ſicuti peregrinantes tranſibant, nullo non incitamento illos invitabat ad praeclari facinoris aut artis bonae famam quaerendam. Dum ne ſocordia & deſidia bonum otium

contererent, ipſos ad agrum colendum, aut venandum, aut ad ſervilia quaevis officia delegare maluiſſet; quod ajebat nihil tam timendum eſſe in bene conſtituta Republica, quam ignavos homines, ventri atque ſomno deditos & in omnem voluptatem propenſos. Neque minori deſiderio Laurentius flagrabat augendi ingenii bona; & cum ei propoſitum eſſet non tam bene facere Reipublicae, quam bene dicere, in poeſi & oratoria haud mediocriter ſe exercuit. Non dubito autem quin audienti Joannem Argyropylum (6) Graecorum, qui ad Coſmum exules poſt Byzantii excidium confugerunt, Peripatetica philoſophia doctiſſimum interpretantem rhetoricam & poeticam Ariſtotelis, ceteroſque Graecos ſcriptores, qui praecepta & exempla dederunt rectae ſcribendi rationis, multum ad amorem in humaniores litteras acceſſerit. Amabat vero praeſertim poeſin, quod ab illa non ſolum oblectationem, ſed etiam levamentum in amatoria aegritudine peteret. Dilexit enim Lucretiam Donatam feminam eximia pulchritudine, & pari caſtimonia, & majorum etiam gloria inſignem, inter quos fuit Curſius ille Donatus, de cujus in tractandis armis peritia nulla unquam aetas conticeſcet. Mores, ingenium, formam illius pluribus ipſe deſcripſit in explanationibus, quas fecit, carminum ſuorum (7); & cum tantam virtutem, venuſtatem pulchritudinemque in unam feminam conveniſſe legas, veniam aliquam Laurentii er-

rato tribuendam prope judicaveris. Caſu in eamdem ſe incidiſſe narrat, cum nobiliores formoſioreſque puellae ac juvenes ad ludum quemdam Florentiae celebrandum confluxiſſent, & ex illo tempore ſe impotenti adeo amore ipſam deperiiſſe, ut hoc unum haberet ſolamen calamitatum publicorumque negotiorum, quibus obruebatur. Sed amor omnis ſollicitus & anxius eſt, quare illius carmina amatoria plena ſunt luctus & querelarum, quibus fata ſua deplorare ſolent amantes, uſque eo, ut non defuerint qui verſibus Donatam redarguerent, quod non ſatis indulgentiae ac humanitatis tribuere videretur Laurentio (8). Quandoque etiam ſe ipſum invitabat ad ſoporem ex mente diſcutiendum adſpiciendamque veritatis lucem, & vel ex ejuſdem carminibus conjici poteſt, pluris ſemper apud illum fuiſſe gravitatem animi atque conſtantiam, quam dulcedinem corporis titillantem ex eave natam laetitiam. Inter carmina, quae ſapientiae munus atque opus libenter dixerim, illud mihi in primis arridet, cujus initium,

Deſtati, pigro ingegno, da quel ſonno,

quod virtuti conſentiat, & voluptati adverſetur, quodque prodat ſatis felicem Dantis imitationem. Nemo ignorat perpaucos illa aetate fuiſſe, qui eam ſpeciem perfectae poeſis, quam Dantes & Petrarcha in primis invexe-

Digitized by Google

invexere, intuerentur, atque eam ſibi ad imitandum proponerent. Nam his contemptis magiſtris, nova quaedam ratio excogitata fuit demulcendi aures imperitorum, quae falſis judiciis longe lateque diffuſa eſt. Si acute quis rem inveniebat (id quod etiam barbari perſaepe faciunt) nequaquam oratione & numero expoliebat, in quo vis praecipua eloquentiae poſita eſt. Sententiae plerumque improbabiles adhibebantur, contortae, nimis exquiſitae, verba inculta, horrida, ex trivio arrepta, numeri laxi, fluctuantes, diſſoluti; tota denique oratio neque nervis colligata, neque articulis diſtincta: rudes inopeſque conſilii ſcriptores facile agnoviſſes. Magna igitur laus Laurentio debetur, quod in tantis tenebris lumen aliquod adſpexerit, quodque arte quadam expolire potuerit ſibi a natura datum ad poeſin ingenium. Illud vero non mediocre eſt argumentum perpaucos iis temporibus veriſſimum pulchritudinis judicium habuiſſe, quod illa phoenix ingeniorum, Picus Mirandula, longa ſane epiſtola ad Laurentium ipſum ſcripta, multis verbis probare nititur, eumdem vel in iis rebus, quas a Dante & Petrarcha didicit, dicendi arte illos ſuperaſſe. Quam quidem laudem, quamvis titillaretur amore gloriae, nimis acri fortaſſe, veruntamen honeſto, neque appetebat, neque depoſcebat Laurentius ipſe, ratus haud mediocrem gloriae fructum ſe percepiſſe, quod a cordatioribus inter principes ſuae aetatis poetas, & verae

poeſeos reſtitutores numeraretur. Neque ſane habeo quemquam, ſi Politianum excipiam, in quo tantam verborum elegantiam, imaginum copiam, & ſententiarum acumen, quamvis non ſemper expleat aures meas, admirer. Felicior mihi fuiſſe videtur in brevioribus epigrammatibus, quam in odis, magiſque mihi arrident, quae profanis, quam quae ſacris Muſis (quanquam & in his ſunt interdum nonnulla magnifica (9) ac plane ſublimia) conſecravit. Habent acumen ingenii, feſtivitatem & jocos, ſed hos ſaepe turpiculos, carmina illa, quae appellantur *Canzoni a ballo*, quod in ſaltatione canebantur, in quibus conficiendis comitem habuiſſe narratur Politianum, quorumque quinquaginta ſupra centum reliquit. Omnium primus invexit carminum genus elegans, facetum & ſalſum, quod dicimus *Ottave ruſticbe*, in quo paſtor ſuos amores erga Nenciam e Barberino, hujuſque merita declarans inducitur. Simile quidpiam confecit Aloyſius Pulcius, edita *la Beca di Dicomano*, quam falſo nonnulli Laurentio ipſi tribuendam eſſe putarunt. Omnino lepida ſunt & feſtiva carmina illa, quae inſcripſit *i Beoni*, quod potores bibuli, qui in quemdam ſuburbanum locum convenere, commonſtrantur, & varie irridentur ob hoc unum vitium, quia vino dediti eſſent. Ex Caregiano redeunti oblatum ſatyrae argumentum, & pene ex tempore illam confeciſſe Laurentium auctor eſt Nicolaus Valorius. Salibus plurimis & lepore con-

diti ſunt *Bacchanales Cantus*, qui a perſonatis canebantur. Inventor fuiſſe dicitur Laurentius perſonarum, quae aut triumphos, aut artes quaſdam referrent, quae ſumptu & magnificentia prope incredibili prodibant. Equi, veſtes, inſtrumenta, omnis denique apparatus indicabat inventoris ingenium, qui ſolitus etiam erat adhibere celebriores pictores tum ad inveniendum, tum ad ornandum ſpectaculum (10). Accedebat muſice; & numeros & voces & modos moderabatur interdum poeta ipſe Laurentius, aut carmine donabat illos, qui hoc praeclare facere poſſent. Cantiunculae tota ferebantur Italia; & Florentiam laetam eſſe omnibus laetitiis cuncti praedicabant, oblectante populum Laurentio. Haec oblectamenta ſaepe ad multas noctis horas protrahebantur, atque eo ſumptu, ut diurnam lucem cerei atque faces aequare viderentur. Alia hujuſmodi plura condidit Laurentius carmina ad hilaritatem & riſum facta, de quibus ſingulis minime neceſſe eſt dicere. Non minus vero in ludicris, quam in feriis ipſum quaeſiiſſe verborum elegantiam ex eo intelligi poteſt, quod conditores Etruſci lexici eam auctoritatem iis tribuerunt, quae tribui ſolet iis ſcriptis, ex quibus quidquid haurias, purum liquidumque te haurire ſentias (11). Neque ſolum Laurentius venatus eſt laudem in propriis carminibus edendis, ſed etiam in alienis colligendis, quod ſuſcepit, ut rem gratam faceret Friderico Aragonio Alfonſi Regis filio,

qui a. MCCCCLXIV. in Etruriam venerat. Amabat hic Etruſcos verſus; & cum noſcere cuperet quidquid in ſuo genere perfectum eſſet, ſatisfecit huic deſiderio Laurentius (12), quamvis ipſe ex pueritia vix tum exceſſerat; ex quo cognoſci profecto poteſt primam illius aetatem non tam ſpe & expectatione, quam re & maturitate fuiſſe laudatam. Magni enim judicii & ſummae facultatis eſſe debet, qui de alienis ſcriptis recte judicat; neque ſibi nimium tribuiſſe viſus eſt, quod ſe medium ſummis poetis interjecerit, cum videret ſua carmina ab iis omnibus probari, qui veriſſimum pulchritudinis judicium tum habere putabantur. Factum eſt etiam horum hortationibus, ut ipſe commentaria adderet ſuis amatoriis carminibus, ex quibus intelliges unde illorum argumenta arripuerit, & quam apte multa ipſis ex intima, Platonicorum praeſertim, philoſophia intexuerit, ſic ut in hoc rerum genere plus multo effeciſſe Laurentium affirmet Mirandula, quam quantum vulgarium poetarum ingenia exiſtimare poſſint. Quot ex Platonis Protagora, ex Republica, ex Legibus, ex Sympoſio! Quae aliaque hujuſmodi ita belle veſtiuntur, ut non ab alio mutuata, ſed tum primum ex ipſa re effloruiſſe videantur. Sed neſcio quomodo placuit illi interdum carmina ſua anguſtis & conciſis quaeſtionibus illigare, in quibus non poetam admiraberis, ſed philoſophum, qui de ſua vi ac ſapientia unus pene omnia profiteri videtur. Profecto nulla unquam do-

mus magis abundavit praeceptis philoſophiae, quam Mediceorum, cum quibus pernoctare, peregrinari, ruſticari dixiſſes omnia praeclara ſtudia; & nemo ſane ignorat quae cura fuerit Magno Coſmo, ut Laurentius atque Julianus ejus cariſſimi nepotes a doctoribus atque a doctrina inſtructiſſimi ad Rempublicam & ornati accederent. Adfuit illis praeſertim Chriſtophorus Landinius, in quo rara illa erat cordis & linguae concordia, ut idem & optime ſentiret, & animi ſenſus eleganter exponeret, quod maxime oſtendit in ſuis *Camaldulenſibus diſputationibus*, quas inſtitutioni ſuorum diſcipulorum conſecravit. Dum acquieſceret vitandi caloris cauſſa in majori Camaldulenſium coenobio, eo veniſſe ait Laurentium & Julianum fratres cum aliis nobiliſſimis doctiſſimiſque viris Florentinis, indeque captatam occaſionem *de duplici, quod proprium hominis ſit, vivendi genere, de bonorum malorumque finibus, & de Virgilianis allegoriis* quibuſdam diſſerendi, quae diſputationes dialogorum more conſcriptae ſunt. Hanc rem vero in beneficii loco petitam a Laurentio fuiſſe ipſe declarat in fine lib. IV. ita Joannem Baptiſtam Albertum alloquens. *Jamdudum quid agas video, o Baptiſta, ac pro eo maximas tibi gratias habeo. Quis enim non videat univerſam hanc diſputationem non ſolum meis precibus datum, verum etiam ad me fratremque meum erudiendum elaboratam? Nam etſi ceteri, qui adſunt, omnes mirifice tua oratione delectentur, tamen eſt eo-*

rum aetas ac doctrina bujuſmodi, *ut etiam ſine duce per ſe baec omnia cognoſcere valeant*. Scripſit etiam Landinius ad Laurentium opus *de vera nobilitate*, quam nihil aliud eſſe probavit niſi cognitam virtutem. In caelum vero cum tolleret ejus avum Coſmum, magnum honorem adjunctum Mediceorum familiae ait, quod is in ſinum ſuum receperit, foverit, omnique honorum & beneficiorum genere ornaverit viros doctrina & ingenio claros; nihil hoc exemplo nobilius, in quod cum tota mente atque omni animo intueretur Laurentius, gratulari ſe ei, quod non communi laude cuperet nobilitari. Nihil porro praetermittebat Landinius, quo inflammaret animos optimorum adoleſcentulorum ad praeclara facinora, quanquam ii frenis magis quam calcaribus egere videbantur. Neque minus in ſtudiis philoſophiae inſtruebatur Laurentius a Marſilio Ficino Platonicorum ſui temporis facile principe, qui praedio donatus, nulloque non beneficio auctus a Magno Coſmo cum omnibus Mediceis familiariſſime atque amiciſſime vivebat. Per hunc quidem Laurentius in Academiae ſpatia penetravit; & quod Platonicorum proprium erat, judicium ſuum nullum interponere, ac probare quae ſimillima veri viderentur, conferre cauſſas, & quidquid in quamque partem dici poſſet expromere, hanc conſuetudinem tenendam ſibi eſſe putavit, cum ab Argyropylo aliiſque Peripateticis ad diſputandum provocaretur; quare fecit, ut nihil admirabilius videre-

tur ejus modeſtia atque prudentia in omni diſquiſitione, quae ad philoſophiam pertineret. Nec erat in quo tam bene de propriis ſibi ſtudiis ſponderet, quam quod ita diſputare ſolebat de ambiguis, ut plus invento vero gauderet quam victoria; & opinionum fallaciis, quaſi morbis animi praecipuis, non tam ſe ipſum, quam ceteros liberare ſatageret. Ex quo factum eſt ut divinanti aſtrologiae, quae tum ubique dominabatur, prope bellum indictum fuerit, & maximo plauſu a ſapientioribus comprobarentur, quae ad rejicienda atque irridenda Aſtrologorum praedicta Philelphus atque Mirandula (13) conſcripſerunt. Hae erant exercitationes ingenii, haec curricula mentis. Nulla vero Laurentio gratior erat ſalutatio, quam cum a Ficino aliquid novi ex Platonicorum libris, quod ipſi uſui eſſe poſſet, proferebatur. Vel ipſa convivia, ut ſympoſia Platonis, plena erant doctiſſimorum ſermonum, & quemadmodum Deus ille philoſophorum Cretae cum Clinia & Lacaedemonio Megillo aeſtivo die in cupreſſetis Gnoſiorum & ſpatiis ſilveſtribus de inſtitutis rerum publicarum, de legibus diſputabat, ſic Laurentius cum Ficino, cum Bartholomaeo Valorio, cum Antonio Caniſianio, aliiſque prudentiſſimis viris in Caregiano ruſticans de ſtatu Reipublicae Florentinae diſſerebat, ut jam tum in ejus judicio ſors illius poſita ac defixa eſſe videretur. Ab ejus vero domo, ut a Platonis civitate, minime exulabant poetae, quin im-

mo invitabantur alebanturque, ſic ut Muſae omnes cum ſuis nemoribus & fontibus, univerſaque ſua ſupellectile (ut Politiani verbis utar) in Mediceorum aedes commigraſſe viderentur. Si fidem Bernardo Taſſo habemus, Aloyſius Pulcius canere ſolebat in epulis Laurentii ſuum poema de Morgantis caſibus, quod fama eſt ſuſcepiſſe, invitantibus Laurentio ipſo hujuſque matre Lucretia Tornabonia. Laurentio quidem fuit Pulcius amiciſſimus, & ab eo non ſolum diligebatur, ſed & pecunia aliiſque muneribus donabatur, ut ex multis hujus ad Laurentium ipſum litteris (14) intelligere potui. Adhibebatur etiam in privatis Mediceorum negotiis (15), & licenter, libere ac familiariſſime cum Laurentio ac Juliano vixiſſe mihi videtur. Eximie etiam Laurentius dilexit ejus fratrem Lucam, a quo cum verſibus mandarentur ſuae victoriae ac trophaea in haſtatorum quibuſdam ludis, illud Themiſtoclis uſurpaſſe fertur; *nullum acroama nulliuſque vocem ſe libentius audire, quam ejus a quo ſua virtus optime praedicaretur.* Inſidebat enim in ejus animo quidam gloriae ſtimulus, a quo admonebatur, non cum vitae tempore eſſe dimetiendam commemorationem nominis ſui, ſed cum omni poſteritate adaequandam; praeſertim cum omnium, qui magna tum ſpectabant, oculi ad Mediceos ſic converſi eſſent, tanquam ad illam parvulam Cynoſuram,

Qua fidunt duce nocturna Phoenices in alto.

Tali

Tali modo dum doctrina & litteris paſcebatur, delectabatur ac perfruebatur Laurentius, futurum aliquando tempus praeſentiebat, quo ab iis non ſolum oblectationem, ſed etiam medicinam & ſalutem in adverſis eſſet petiturus. Vix enim e vivis deceſſerat Coſmus, cum ſeditioſorum nonnullorum vis diu collecta, compreſſis inveteratiſque odiis, in Petri illius filii non modo auctoritatem dignitatemque, ſed etiam vitam erupit. Praeerat his omnibus Lucas Pitius, cujus lingua quaſi flabello ſeditionis illa tum ambitioſorum manus ventilata fuit. Unde poterat, eruebat argumenta ad conflandam Mediceis invidiam, & ad civitatem procaci libertate miſcendam. Sperabat enim ſi de loco Petrum moviſſet, pro gratia, qua plurimum poterat apud omnes ordines, nemine obſiſtente, ad ſe unum Reipublicae adminiſtrationem atque imperium delatum iri. Non minori odio ferebatur in Mediceos Dieteſalvius Neronius peracris ingenii & magnae in Republica auctoritatis, Nicolaus Soderinius homo & lingua & manu promptus, & ſimulatione vindicandae libertatis multitudini carus, Angelus Acciajolius, qui civitatis dignitatem & decus ſuſtinere videbatur, quemque averterant a Petro negatae filio nuptiae, praelatuſque gener Bernardus Oricellarius, aliique plures nobilitate inſignes, qui honores, quos, quieta Republica, deſperabant, perturbata, conſequi ſe poſſe arbitrabantur. Quamvis his non eaedem eſſent cauſſae per-

Digitized by Google

dendi Mediceos, omnes tamen una mente ad idem patrandum ſcelus conſentiebant; & fortaſſe illius maturandi cauſſam ipſis dederunt ſingulares honores, quibus Laurentius a Ferdinando Aragonio Neapolitanorum Rege, ad quem venerat ineunte vere anni MCCCCLXVI., affectus fuit. Hujus enim gratia & florentem & potentem illum fore exiſtimabant. Cum quotidie Mediceorum potentiam invidioſe ad iras permovendas criminarentur, haud poterat eſſe occulta atque tecta eorum cupiditas, utque evenit, inclinatis ad ſuſpicionem mentibus, cum timeret Petrus, timebatur. Confidebant maxime ſeditioſi armis Herculis Ateſtini: contra ea ſpes Petro ſuberat in Galeatii Mariae Sfortiae Mediolani Ducis benevolentia, cum videretur poſſe nihil eſſe conjunctius, quam erant inter ſe Medicei & Sfortiani, qui quidquid eſſent, illis in primis ſe referre acceptum palam profitebantur. Sed ipſae artes & officia, quae adhibebat Petrus ad ſibi & Reipublicae rationibus magis magiſque adjungendum Galeatium Mariam, cujus copiae a Neapolitano bello redeuntes in agro Bononienſi per ſpeciem quietis conſederant, calumniandi cauſſam praebebant illius adverſariis, quaſi externis armis ſervile jugum ſuorum civium cervicibus vellet imponere. Quod paterent aures multitudinis hujuſmodi criminationibus, ad illas confirmandas conjurati nullo non in ſermone injiciebant, idcirco repeti a Petro pecunias, quas multis civibus Florenti-

nis mutuo dederat Coſmus pater, ut haberet unde arma & milites cum aliorum ruina pararet, vertebaturque ei etiam in crimen, quod, Romam miſſo Laurentio, egiſſet de conciliandis illi externis nuptiis & potentiorum affinitatibus. Nam deſponſa illi fuerat Clarix ex Urſiniorum familia Romae nobilitate, potentia, opibus, clientelis florentiſſima, a qua familia quantum metuendum eſſet periculi, magno ajebant documento eſſe poſſe Senenſes, qui non ita pridem, quamvis Venetis foedere juncti, eorum validis niterentur auxiliis, conjecti in magnum rerum omnium diſcrimen ab uno Ildibrando Urſinio Pitilianenſium Comite, pacem facere iniquiſſimis etiam conditionibus coacti fuerant. His de cauſſis ingraveſcebat in dies inteſtinum malum; nihilo tamen minus Laurentius ab Urbe redux ludos apparavit magnificentiſſimos, ſic ut nemo unquam ſe vidiſſe ſumptuoſiores teſtaretur. Erat enim illi perſuaſum deliniendam multitudinem, atque ab rerum novarum molitione expectationeque oblectationibus, quae popularem admirationem habebant, avertendam, ibique minorem eſſe licentiam, ubi major eſſet animorum occupatio. Praeter id, cum ludorum tempore magni concurſus fieri ſolerent ex agris, vicis & urbibus omnibus vicinis, in tanta multitudine praeſidium comparare ſibi poterat Reſpublica ad coercendos ſeditioſos cives, & facilius occultari, ſi qua cogenda fuiſſet armatorum manus. Qui averſo

erant animo a Mediceis, ajebant oblectamenta & ſolatia ſervitutis ab iis populo dari, & nunquam fore laetius ſpectaculum, quam dum tyrannidis auctores aut e vita tollerentur, aut in ultimas terras amandarentur. Commiſſis ludis, magnum certamen fuit magnificentiae atque virtutis, & cum omnes viciſſet Laurentius certandi arte, & ſplendore pulchritudineque veſtium, quas dono acceperat a Mediolanenſium Duce, videbatur agere non modo ex victis, ſed etiam ex inimicorum dolore triumphum. Poſt ludorum celebrationem alia ſpectacula edi placuit. In his trium Regum ad Chriſtum natum adventus, quorum omnium cum eſſet auctor ſplendidus Laurentius, omnino perſuadere volebat hominibus publicam magnificentiam tantum ſe diligere, quantum privatam luxuriam oderat. Poſt haec conjurati tempus interficiendi Petrum quaerere inſtituerunt. Id Laurentio celari non potuit: erat enim vel a prima adoleſcentia ea ſagacitate, ut decipi non poſſet, praeſertim cum animum attendiſſet ad cavendum. Itaque cum e Caregiano Florentiam Petrus lectica, quod podagrae doloribus fere ſemper cruciaretur maximis, ferri deberet, perſuaſit illi Laurentius, ut devio & longiori itinere incederet. Ipſe interim equo advectus recta ivit via, in qua cum multos armatos offendiſſet, timorem occultans ſciſcitantibus de patris ſalute reſpondit non longe illum abeſſe. Petrus interea litteras a Joanne Bentivolo Bononiae Principe

accepit, quibus certior fit de Ferrarienſis exercitus prope fines Etruriae adventu, ad quem cohibendum ſe ſuoſque milites non defuturos oſtendit. Commotus, ut par erat, Petrus tanti periculi magnitudine homines armatos ſubito cogit, & nuntios & litteras in omnes partes ac Mediolanum in primis auxilia imploraturus dimittit, aliaque parat, quibus tectus eſſe poſſet ab conjuratorum inſidiis. Sed hi dum aut animi remiſſione, aut periculi timore tempus conterunt, diſſidentque inter ſe de ratione inchoata perficiendi (hujuſmodi enim fere ſunt hominum ingenia, ut non parem in ſuſcipiendo conſilio atque in expediendo afferant prudentiam) tanta ſubito rerum commutatio facta eſt, ut Pitius, cujus implacabile eſſe odium in Mediceos videbatur, de redeundo in gratiam cum Petro deliberaverit, quod praeſertim Laurentii voces a ſe obtinuiſſe profitebatur. Nam cum Petrus e lectulo ſurgere haud poſſet, Laurentium mittebat ad Magiſtratus ceteroſque, ad quos verba facere intererat. Porro hujus prudentia dexteritateque factum eſt, ut pater & priſtinam dignitatem auctoritatemque retineret, & patria pellerentur, ſi Pitium excipias, qui contra illam conjuraverant (16). Saevitum praeſertim in Neronios fuit; & qui ex eorum familia erat Archiepiſcopus Florentinus, ipſe ſe exilio mulctavit, cum Romam aufugiſſet, ſperans fortaſſe in Romano Pontifice Paullo II. injuriarum vindicem ſe reperturum. Etſi

poenam ſummi Magiſtratus ab multis aliis repeterent; quos participes conjurationis, prodente Nicolao Fedinio criminis ſocios, fuiſſe conſtabat; vitam tamen, fortunas & patriam illi retinuerunt, deprecatore Laurentio, ut ſperare potuerit aut nullos ſupereſſe de inimicis, aut qui ſuperfuerant, amicos factos fuiſſe. Tum quidem ſaepe audita eſt praeclariſſima ac ſapientiſſima illius vox, vincere eum, qui non fortuna inflammaret odium ſuum, ſed bonitate leniret, & ingratum illum injuſtumque civem eſſe, qui armorum periculo liberatus animum retineret armatum. Hortabatur vero omnes, in Republica ita verſarentur, ut ſemper optimarum partium eſſent, neque ſe civilibus fluctibus committerent; non magis enim eos in ſua poteſtate eſſe exiſtimabat, qui illis ſe dediſſent, quam qui maritimis jactarentur. Nihilo tamen minus ulla ratione haud placari poſſe videbatur odium conjuratorum, qui patria pulſi fuerant, cumque ſemper eorum animi eſſent intenti ad periculum creandum Mediceis, in partes ſuas traxerunt Venetos, & qui eorum copiis imperabat, gloriae avidiſſimum Bartholomaeum Coleonem. Facile enim fuit iis ſuadere haud omittendam occaſionem ulciſcendi injuriam, quam acceperant a Coſmo Petri parente, cujus certe conſilio, ſtudio atque divitiis factum fuerat, ne ipſi Mediolanenſium Ducum ditione, extinctis Vicecomitibus, potirentur. Tantus hoſtis tantuſque Dux (17) multam operam & diligen-

tiam requirebat; quare Florentini nihil reliqui fecerunt ad confirmandos ſibi in amicitia Inſubrium Ducem, Neapolitanorum Regem, alioſque minores Regulos, eaque omnia paranda, quae ad bellum adminiſtrandum eſſent neceſſaria. Inſignes eo bello duces fuerunt Rupertus Urſinius & Rupertus Sanſeverinas, verum omnibus non ſolum militari laude, ſed etiam imperio dignitateque antecellebat Fridericus Feltrius Urbinatium Comes, qui cum juveniliter exultantem Galeatium Mariam Sfortiam minime cohibere poſſet, illum Florentiam vocandum curavit per ſpeciem res graviſſimas tractandi. Tum occaſionem arripuit adoriendi hoſtem in Bononienſi agro ad Ricardinam flumen, adverſus quem ſi omnes, quas habebat, copias ſtatim duxiſſet, feliciori ſane exitu pugnaſſet. Verum ſive timore, quod libertatem & ſalutem Italiae in uno praelio poſitam diceret, ſive conſilio, quod univerſum ſimul exercitum fortunae objiciendum non judicaret, quadraginta tantummodo turmas in aciem eduxit, quae ita fortiter pugnarunt, ut eas ſuperiores diſceſſiſſe judicatum fuerit. Magnus inde metus hoſtibus, conſiliumque nova praelia declinandi, quam ob rem pactae primum viginti dierum induciae fuerunt, mox confecta pax, quam a Florentinis ipſi hoſtes petierunt. Ita externis rebus tranquillatis, facile quidem fuit Mediceis alios domeſticos motus compeſcere, quaedam nova in ratione inſtitutioneque adminiſtran-

dae Reipublicae, plaudentibus amicis & ſociis, inducere (18), & ita triumphare de inimicorum perfidia, ut certum in periculum ii ſe committere viderentur, qui eorum potentiae nimis pertinaciter adverſarentur. Hanc, ut diximus, confirmare viſae ſunt nuptiae Claricis Urſiniae cum Laurentio (19), & ex magnificentia ludorum, qui illas condecorarunt (20), conjici potuit ex ampliſſimo genere in clariſſimam familiam illam nuptam fuiſſe. Tum quidem Petrus ajebat Deo immortali ſe gratias agere, quod eodem tempore, quo filii cariſſimi fortunae conſuluiſſet, Reipublicae rationibus ita proſpexiſſet, ut amota tempeſtate invidiae a familia, ſeditionum ac diſcordiarum a civitate, ſperare jam poſſet ſe reliquum vitae tempus tuto ac tranquille traductūrum. Sed cum ſpe bona confligebant valetudinis incommoda, quibus cum continuo premeretur, tandem e vita ceſſit III. non. Decembris anno MCCCCLXIX. (21), vir quidem multis juſtiſque nominibus populo carus, ſed diſſimillima comparatione patris & filii non admodum ad poſteritatis memoriam commendatus. Non eſt credibile quantum de morte patris fleverit Laurentius; & quas a Donato Acciajolio accepit conſolatorias litteras ob earum elegantiam & claritudinem hominis exſcribendas putamus (22). Moriens Petrus liberos Thomae Soderinio commendavit, cujus viri fidem ſingularem multis magniſque in rebus expertus fuerat. Is primoribus civium in S. Antonii

tonii convocatis expoſuit quanta pericula eſſent timenda a Venetis & a Romano Pontifice, quem conſtabat de concedenda iis Bononienſi provincia cogitare; itaque ſi priſtinum ſplendorem & decus Reipublicae conſervare, & potentiorum conſiliis obſiſtere & occurrere vellent, Laurentium in patris locum ſufficerent. Hominis virtus & dignitas removebat ſuſpicionem nimii in Mediceos ſtudii, quare omnes ejus ſententiam ſequuntur, palam profitentes, neque caeca ſpe, neque obſcura expectatione pendere Rempublicam, poſtquam Laurentius tot dederat prudentiae, induſtriae, magnanimitatis, omniſque virtutis documenta. Ipſe vero quamvis in aciem dimicationemque ſe venire intelligeret, neque inimicitias, neque vitae pericula ſibi pro patria defugienda putavit; & quod ſe unum in ea civitate tanti honoris dignum putaverint, cui Reipublicae cura atque adminiſtratio praecipue committeretur, grata recordatione & perpetua occupationum & fortunarum ſuarum devotione tantum beneficium ſe remuneraturum ſpopondit. Is tum erat rerum Italicarum ſtatus, ut ſcientiſſimo ſane gubernatore Reſpublica indigeret, iique mores imperantium, ut magni conſilii & artis eſſet in tot hominum cujuſque modi vitiis, tantiſque verſantem vitare offenſionem, fallacias atque inſidias. Veneti & magnitudine opum, & diuturnitate imperii, & rebus terra marique feliciter geſtis, ſummam auctoritatem tenebant; neque credibile eſt quan-

tum in iis eſſet ſtudium augendi imperii, & ſi fieri potuiſſet, totius Italiae dominatione potiundi. Jam plura oppida & civitates ſuorum ditioni brevi tempore addiderant, ut non modo finitimus quiſque, ſed etiam abſentes ſuſpectas eorum vires habere, ac vereri plurimum deberent, ne ſi per ſocordiam eas augeri ſinerent, ipſae in propriam perniciem verterentur. Secundum auctoritatis & potentiae locum in Italia tenebat Ferdinandus Aragonius. Is Neapolitanum regnum Alfonſi I. patris virtute partum, florens opibus, fama bene adminiſtratae Reipublicae, ingenio, liberis, propinquis, affinibus & amicis feliciter conſervabat. Prudens natura, & cui cauta potius conſilia cum ratione, quam proſpera ex caſu placerent, non ſui modo regni, ſed etiam univerſae Italiae tranquillitati plurimum proſpexit, & quo minus antea Neapolitanis fuerat conſultum legibus inſtitutiſque, ut florerent litteris, commercio & artibus, quae ad vitae cultum neceſſariae eſſe videntur, eo diligentius in hanc curam ſibi incumbendum putavit. Ferdinando filius erat Alfonſus Calabriae Dux aetate integra, manu promptus, atque ingenio ferox, cujus ambitio perditique mores multorum imperiis ac fortunis malum minitari videbantur. Amplae Mediolanenſium res erant, & qui iis imperabat Galeatius Maria Sfortia, vita & prudentia Franciſci patris longe diſſimilis, rapere, conſumere, ſua parvi pendere, aliena cupere, pudorem, pudici-

tiam, divina atque humana omnia contemnere, nihil penſi, nihil moderati habere; tantaque libido in eo erat crudelitatis exercendae, ut cum matri minime pepercilſet, alterius Neronis nomen meruerit. Haec vitia mortem illi maturarunt, cum praevidere minime potuerint, qui contra illum conjuravere, perniciem ejuſdem cum univerſae Italiae calamitate (quae enim vulnera huic inflixit projecta quaedam & effrenata cupiditas dominandi, qua flagravit Ludovicus frater illius!) fore conjunctam. Quoad vixit, Florentinis favit, & quod a litteris minime alienus eſſet, & ad omnem munificentiam propenſus, invidiſſe Mediceorum gloriae videtur. Rempublicam Chriſtianam Imperiumque urbis Romae ita gubernabat Paullus II. ut in eo ſeveritas vitae, & in gerenda re conſilioque capiendo conſtantia requireretur. Saepe quae juſſerat vetabat, quae vetuerat jubebat, & cum ſermonis nimius eſſet, nihil illo fieri potuiſſe levius facile affirmaſſes. Quaeſtui ac ſumptui aeque deditus non ſine aliorum injuria ſuique dedecore magnas impenſas faciebat vel ad inſtruenda noctu convivia, vel ad gemmas emendas, vel ad aedificia excitanda, vel ad omnem denique privatam luxuriam & publicam magnificentiam exercendam. Reprehendebatur etiam, quod nimis ſtudioſe favere videretur Venetis ſuis, & quidquid cuperet quam bonam famam, ingeniorum cultum, & Chriſtianae Reipublicae tranquillitatem. Borſius Ateſtinus

Ferrarienſis Ducatus clavum tenebat, melior Princeps habitus vitae exitu, quam initio regni, quod inſigni Herculis fratris injuria, cui debebatur, occupaverat. Hujus autem injuſtitiae minuendae cauſſa ferunt illum conſulto a nuptiis abſtinuiſſe, ne caritate liberorum prohiberetur, quo minus libero judicio in ſua re fratri reſtituenda uteretur. Genuenſes, qui cuncta quondam maria pervagati, relictis ubique clariſſimarum victoriarum monumentis, ceteras gentes omni tempore navali gloria ſuperaverant, cum domi ſeditioſi ſaeviſſimis fluctibus factionum, inter quas Adornia & Fregoſia eminebant, jactarentur, in Sfortianorum poteſtatem conceſſerant. Senenſes & Lucenſes aliena magis potentia quam propria libertatem retinebant; & quamvis novarum rerum libidine abriperentur, omnes tamen inveterato odio Florentinis infenſi ad horum vires & gloriam minuendam facile conſpirabant. Plures ceteris in Italiae provinciis dominabantur minores Principes, qui plerumque in bello iis favebant partibus, a quibus major ſpes aut quaeſtus aut victoriae oſtendebatur, ſic ut nihil tam commune eſſet, quam videre ingenia atque arma converti ad perniciem, quae paullo antea verſata fuerant in ſalute atque auxilio ferendo. Quapropter minime eſt mirandum, ſi ii Principes ad ferendas diſcordias quam ad amicitias conglutinandas aptiores viderentur. Ea denique erat conditio temporum, ut nullam in Italia aeta-

tem poſt homines natos extitiſſe putem, qua aut facilius atque ardentius Principes ſuſciperent bella, aut flagitioſius ſuſcepta gererent, aut turpius, ſive iis gerendis ſecunda, ſive adverſa evenirent, adminiſtrarent. Illorum Regulorum unus, qui Ariminenſibus imperabat, Giſmundus Malateſta homo impuriſſimus atque ſceleratus & ad omne facinus natus, his ferme temporibus moritur. Cum haud ullos ſuſcepiſſet ex tribus, quas crudeliſſime necaverat, uxoribus liberos, ſucceſſit in ejus locum Rupertus ex concubina genitus. Hic diffidens rebus ſuis, quod Paullus Pontifex quovis modo jus Romanae Eccleſiae (23), a qua Malateſtae ditionem illam acceperant, ſe ſe recuperaturum oſtendebat, ad Florentinorum opem confugit. Non eſt credibile quantam id conciverit iram in Pontifice, qui contumelioſa multa vel in ipſo Cardinalium concilio in Mediceos fratres evomuit, perinde quaſi ii ſibi honori ducerent vim exercere, facere injurias, & divina atque humana omnia contemnere. Aliis inimicitiis incenſa contentio fuit, quod Pontifex fretus potentia Venetorum Bononiam etiam, in qua dominabantur Bentivoli, reſpiceret, aliaſque vias ſibi patefacere vellet ad opes ſuas amplificandas (24). Itaque Ferdinandus Neapolitanorum Rex, & Urbinatium Dux, ſtimulante eos maxime Laurentio, ſic partibus Ruperti ſtudebant, ut armis & caſtris obſiſtere Pontificis conatibus haud dubitaverint. Res quidem ad manus venit; & is armo-

rum exitus fuit, ut Pontifex pacis conditiones a victoribus accipere coactus fuerit. Rupertus vero, qui Laurentii praeſertim beneficiis fractam illam vim eſſe praedicabat, & memor & gratus ſemper extitit; & quod belli laude, liberalitate, humanitate, omnique praeclara virtute neminem ſuperiorem habebat, tantum hominem ſibi devinxiſſe non modo utile, ſed etiam honorificum Florentini arbitrabantur. Paullo poſtquam illa acciderunt, ſuis & Reipublicae rebus proſpicere debuit Laurentius. Inter eos, qui patria pulſi fuerant, quod cum Pitio & Neronio ad amovendos a Republica Mediceos conſpiraverant, extitere Silveſter & Bernardus Nardii fratres, homines acres rerumque novarum cupidiſſimi. Sed non tam eos excruciabant propriae miſeriae, quam deſiderium ſaturandi diuturnum & infinitum odium in eos, quos vocabant patriae & bonorum oppreſſores. Erant Bernardo jampridem cum quibuſdam Pratenſibus familiaritas & uſus, quorum auctoritate poſſe oppidum ad defectionem impelli non diffidebat. Augebat ſpem quod in finitimo agro Piſtorienſi multos ſibi fidos atque obnoxios fecerat, quos flagitia, egeſtas, conſcius animus ſic exagitabat, ut ad quidlibet audendum eſſent paratiſſimi. Re igitur communicata cum Dieteſalvio Neronio, ad eam maturandam ſollicitatur, ac ſpe bona impletur fore, ut per exules haud dubia & valida ſubſidia a Bononienſibus & Ferrarienſibus ſubmitterentur. Haec clien-

tibus ſuis Bernardus expoſuit, & ad eos brevi ſe venturum pollicetur. Dum ratio perficiendi conſilii quaeritur, quod oppidum omne ad defectionem faciendam ſine metu adduci poſſe non confidebant, obtinuit Bernardus a Palandriis, qui factioſi & potentes erant in agro Piſtorienſi, centum & amplius armatos homines, quos ut in oppidum noctu intromittere poſſet, fallenda erat diligentia & vigilantia illius, qui eidem oppido praeerat. Nam hic quotidie veſperi, occluſis portis, harum claves ſibi afferri jubebat, nec facile eaſdem noctu aperiendi poteſtas permittebatur. Simulans tamen conjuratorum unus neceſſitatem itineris, prodeundi ex oppido paullo ante lucem veniam obtinuit, quae pacta & conſtituta erat hora cum Bernardo, ut ipſe cum armatis adventaret, dum interea ceteri conjurati intus parabant ea, quae occupandae urbi videbantur neceſſaria. Tali modo armati in urbem ingreſſi tumultuoſe omnibus locis vagantur, multitudinem ad arma convocant, nonnullos ad furorem impellunt, ut facinore admiſſo, ad ſanitatem reverti pudeat. Aegre mortem vitavit oppidi Praefectus, quam certe ſubiiſset, niſi, utilitatis ſpecie oblata, perſuaſiſſet Bernardo poſſe ſe facile ad factionis commoda multitudinem allicere atque excitare, quae jam in auctorem juſſi ſupplicii exardeſcere iracundia videbatur. Is erat Caeſar Petruccius magni animi & conſilii vir, qui poſtea in Pactiana conjuratione Vexillifer Reipublicae

egregiam operam Laurentio praeſtitit. Cum haud multum proficeret Bernardus apud populum hortando, rogando atque minas jactando, adiit ſummum Octovirum Magiſtratum, quibus divitias, decus, gloriam, praeterea libertatem atque patriam ſe offerre dixit, ſi ſuis coeptis faviſſent; ſe vindicem atque oppreſſorem injuſtae dominationis fore, praetorium, forum atque arcem ſua in poteſtate jam eſſe, & nihil non proſperi ſibi polliceri, adventantibus externis militibus. Ii ad unum omnes in fide Reipublicae Florentinae ſe manſuros reſponderunt, quod ei deſperationem, oppidanis animum auxit. Interea Georgius Ginorius eques ex Rhodiorum militum ordine, qui cum aliis Florentinis forte eo in loco commorabatur, ubi videt minus procedere Bernardo nefaria conſilia, remque majoris timoris, quam periculi eſſe, fortiſſimorum juvenum collecta manu, conjuratos primo impetu pellit, fugientes perſequitur, multos interficit. Bernardus armatis circumdatus poſtquam vidit, neque fugae neque praeſidii ullam ſpem ſibi dari, abjectis armis, Ginorio ſe ſe tradidit. Sed priuſquam ſedati tumultus nuntii Florentiam afferrentur, vulgatur Pratum vi captum, Praetorem interfectum, Piſtorienſes quoque a Republica defeciſſe, adventare externos milites, & maximo in periculo rem eſſe. Quibus nuntiis territus Laurentius ceterique, qui gubernacula Reipublicae tractabant, negotium dedere Ruperto Sanſeverinati, qui tum caſu

copiarum

copiarum Reipublicae imperator Florentiae agebat, ut quanta maxima ſubito poſſet militum comparata manu, Pratum ad tumultum ſedandum properaret. Sed is non longe aberat a civitate, cum audit omne ſublatum eſſe diſcrimen; judicatuſque Nardius perduellionis reus poſtquam omnia, uti geſta erant, aperuit, quid, aut qua de cauſſa conſilii habuiſſet, cum aliis paucis criminis ſociis capite plectitur. Hac extincta flamma, cum ſatis proſpere Reipublicae res procedere viderentur, ex otio & opulentia immutatos fuiſſe civitatis mores queritur Machiavellius, ſic ut ea tempeſtate coeperit juventus magis in ſcortis, conviviis, ludis, omnique luxu & maledicentia lubidinem habere, quam in decoris armis & militaribus exercitatiobus, ingeniorumque cultu; illam quaſi venenis malis imbutam ea ſemper concupiſcere, quae corpus animumque corrumperent, & amicitias inimicitiaſque non ex publica utilitate, ſed ex privato commodo aeſtimare. Homo Mediceorum fortunae haud ſemper amicus carpere fortaſſe voluit Laurentium, quaſi ab ipſo ea tela texeretur, & ea incitaretur ratio vivendi ac poſteritati oſtenderetur, ut eorum civium, quos majores non tuliſſent, multi ſe ſimiles eſſe cuperent. Equidem cenſeo in Republica nullam eſſe capitaliorem peſtem luxuria, nec poſſe diu retineri libertatem niſi moderatione, ſimplicitate, aequalitate, concordia iiſque artibus, quibus initio par-

ta eſt. Sed in univerſa Italia ii invaluerant mores, ut praeclare a ſuis poſitam & a ſe ſuſceptam operam arbitraretur Laurentius incitandi adjuvandique cives ſuos ad divitias parandas, & ad conſulendum per has gloriae, ſplendori, & quantum fieri poterat, incolumitati Reipublicae. Profecto haec ſaepe divitiarum ſubſidio ſervata fuit, quod eo validius erat, quia tum eorum, qui egebant, ne ſummis quidem Regibus exceptis, infinita erat multitudo. Sed facile erat praevidere mala, quae ex largitione, ſtudio pecuniae, corruptaque ambitione aliquando eſſent eruptura. Nam tum gloriam, famam, honorem bonus ignavuſque aeque ſibi exoptant, & ubi opes familiares deficiunt, ad quaevis facinora animi facile incenduntur, ubi redundant atque effunduntur, principatus ceteriſque dominandi cupiditas innaſcitur. Hinc innumera illa execranda ambitioſorum hominum exempla, qui patriae, parentibus, aris atque focis ſuis bella intulere. Sed, ut diximus, quoniam ita ſe mores habebant, ut in magna virtutum inopia illa in pretio eſſent vitia, quae prope virtutem ſunt, effuſa liberalitas, magnificentia, ambitio, excuſandus eſt Laurentius, quod largitor eſſet pecuniae, hujus vias conquireret, ceteriſque monſtraret, & otium civitati ſuae cum ſplendore parere, & cives, qui memoriam ſui praeclaram & virtutem poſteris relinquere non poterant, ſaltem a noxiis Reipublicae con-

ſiliis occupatione vitae, mercaturae, artium atque ludorum removere ſatageret. At ſi quaeras quouſque Mediceorum magnificentia proceſſerit, ſcies ex Laurentio ipſo a ſe ſuiſque ab anno MCCCCXXXIII. ad annum uſque MCCCCLXXI. ſeptingenta fere millia florenorum expenſa fuiſſe vel ad ſublevandos miſeros, vel ad aedificia conſtruenda, vel ad tributa ſolvenda, vel ad largitiones quocumque modo faciendas (25). Quam rem etſi nonnulli in ſuperbiam vertebant, pauci fortaſſe moerentes laudabant, plerique tamen ſtupefacti intuebantur, ac publice privatimque pleniore ore extollebant. Libens recordabatur Laurentius quae ad aemulandam Galeatii Mariae Sfortiae magnificentiam geſſit, quando is Florentiam cum uxore nobiliſſimoque comitatu per cauſſam, ut ferebatur, voti diſſolvendi id. Martii an. MCCCCLXXI. advenit. Vel antea mutuis officiis coram inter ſe certaverant Galeatius & Laurentius, cum congreſſionibus cauſſam dediſſent Franciſci Sfortiae obitus (26), quem dolere maxime Florentini debebant, aliaeque legationes & itinera, quae declarabant inſignem Sfortianorum in Mediceos benevolentiam (27). Sed hoc tempore nullus modus fuit ſumptus faciendi, quaſi omnis laus in fortuna, non in virtute eſſet ponenda (28). Qui genere & nobilitate Mediolanenſis ditionis facile principes erant, & ii, quos Galeatius ad conſilia adhibebat, hunc ſequebantur pretioſis ve-

Digitized by Google

ſtibus induti; magna erat copia aulicorum, quos ornabant ſerica indumenta acu picta; ipſa turba cubiculariorum veſtita, aurata, ornata ut concinne, ut magnifice, ut nove! Vel ipſos coquos, lecticarios, tubicines, reliquamque familiam a nobilioribus ſumpſiſſe ornamenta dixiſſes. Inſignibus inſidebant equis pueri forma, veſtibus, frenis, ephippiis, monilibus, phaleris praefulgentes, & nihil a ducibus habitu differebant milites corporis cuſtodes. Suus quoque erat comitatus Bonae uxori, inſtructus omnibus iis rebus, quae admirationem efficerent; & non ſolum duo millia numerabantur equorum, ſed mille canes, & totidem fere accipitres, argenteis ſonantibus pedicis vincti cum pileolis, quorum apices gemmae adornabant: nam venatione & aucupio mirum in modum Galeatius delectabatur. Ingredienti civitatem nullus non honos habitus eſt, nec aetas quemquam, nec valetudo, nec ſexus retardavit, quominus oculos inſolito ſpectaculo impleret. Divertit ad Laurentium, a quo pro ſua dignitate & veteri hoſpitio exceptus eſt magnifice & comiter. Tum quidem primum videre licuit expoſitas Mediceorum copias, quae regiam opulentiam aequabant, magnam caelati argenti vim, omne gemmarum genus, vaſa magnifica & pretioſe elaborata, periſtromata, numiſmata, tabulas pictas, ſigna ex aere & marmore antiqua, ſimulacra Deorum hominumque omni genere & materiae & artium inſi-

Digitized by Google

gnia, rariſſimorum librorum copiam, innumera denique, quae non inſolentis cujuſdam oſtentationis ſuſpicionem darent, ſed ingenii & exquiſiti in omni re judicii laudem haberent. Quamdiu degit Galeatius Florentiae, delectatus eſt ludorum, varietate, aliiſque ſpectaculis, in quibus dandis non magnificentiam modo, ſed & prudentiam Florentinorum, ad quae rudes tum ceteri erant Itali, admirabatur. In his Deum Spiritum ad Apoſtolos deſcendentem repraeſentare aggreſſi ſunt eo in templo, quod ab ipſo divino Spiritu nomen habuit. Sed injectus ignis e ſuperiori aedium parte, qui pluribus ſimul locis linguarum forma tanquam caelitus emitti videbatur, tecta comprehendit, ac brevi templum ipſum acerbiſſimo concidit incendio conflagratum. Pecuniam ad illud reſtaurandum Corius diligentiſſimus rerum Mediolanenſium ſcriptor dediſſe Galeatium narrat, qui quidem, ut erat picturae & architecturae mire ſtudioſus, plura ſe vidiſſe dicebat in una civitate magnorum artificum, quae admiraretur, opera, quam in univerſa Italia. Ad haec addebat dolere ſe, quod aemulari non poſſet Laurentii magnificentiam, qui adeo multa collegerat in ſuas aedes, ut nihil illis ornatius atque ſplendidius fieri poſſet. At expleta cupiditate haſtatorum certamina, in quibus Florentina juventus excellere putabatur (29), ceteraſque ludicras res ſpectandi, Galeatius & Laurentius, remotis

arbitris, multa inter ſe de rerum Italicarum ſtatu, de pace, de bello diſſeruiſſe narrantur. Ille autem laetanti animo & ſpe optima a Florentinis diſceſſit, quod amicitia cum populo Italicorum opulentiſſimo confirmata, neminem ambitioni ſuae reſtiturum ſperabat. Hanc cauſſam fuiſſe itineris ſuſcipiendi ferunt, & quae poſtea geſſit adſciſcendi gratia Venetos in foederis ſocietatem multis nominibus Ferdinando Neapolitanorum Regi infenſos, ad hujus perniciem illum ſpectaſſe oſtendunt. Per hanc conſpirationem magnae res in Italia moveri videbantur, & novarum perturbationum ſuſpicionem ac metum afferebat quoque turbulentus Sixti IV. Pontificis animus, qui in locum Paulli II. v. Idus Sextiles anni MCCCCLXXI. ſucceſſerat. Principio Florentini augurio votiſque proſpera ab eo ſibi ominati ſunt. Legatos ſtatim ampliſſimos civitatis ad eum miſerunt, cujus legationis princeps erat Laurentius (30). Inter hunc & Pontificem non magis mutua, quam inexplicabili comitate certatum eſt; ex quo facile apparebat Sixtum ea agitare, ad quae exequenda magno ſibi uſui futuram Laurentii operam confidebat. Ut hunc ſibi magis demereretur, Urbis aerario ipſum praefecit, facta poteſtate, ut per eos, qui Romae Mediceorum negotia procurabant, munus adminiſtraret. Haec res ſibi, & Joanni Tornabonio ejuſdem avunculo, qui erat unus e Procuratoribus, magno ſane emolumento fuit.

Nam parvo pretio coemptas gemmas, quas ingenti comparaverat Paullus II. (quae autem cauſſa moverit Sixtum ad illas diſtrahendas ignoro) cum vendidiſſent Regibus aliiſque harum rerum cupidis, plurimum ex hac re lucri fecerunt. Nec minus horum utilitatibus ſervivit Sixtus, cum iis locaſſet aluminis fodinas Pio II. Pontifice Maximo detectas prope Centum Cellas eo in loco, cui Tolfae nomen, ex quibus aerario Pontificio florenorum millia c. quotannis redibant. Haec res poſtea magnarum controverſiarum cauſſa fuit cum quaeſtoribus Pontificiis, ad quas dirimendas renovandamque locationem valuit Innocentii VIII. ſingulare in Laurentium ſtudium (31). Incredibile autem eſt cum oſtendiſſet Laurentius de colligendis antiquitatis monumentis ſe plurimum laborare, ſtudii & delectationis, & nobiliſſimarum artium, quae ad graphicen pertinent, provehendarum cauſſa, quanta hujus generis dona tum a Pontifice ipſo, tum a Cardinalibus acceperit, ut hoc ſolo nomine dives, fortunatus atque opulentus ſibi eſſe videretur. Dum obiret vero urbem plenam quidem vetuſtate famae, ſed in qua plura magis auribus accipiuntur, quam oculis noſcuntur, oderat, execrabaturque illos, qui parietibus, tectis, columnis, ſignis horrificum quoddam & nefarium omni imbutum odio bellum intulerant. Quod non ſine aliqua reprehenſione erat Paulli II. qui paullo ante partem amphitheatri Flavii Veſpaſia-

ni demolitus fuerat, ut lapides ſibi eſſent ad Aedes, ſicuti vocant, S. Marci aedificandas. Traditur a claris ſcriptoribus Laurentium egiſſe cum Sixto de cooptando in Cardinalium collegium Juliano fratre, vel quod hunc deſiderium teneret ampliſſimae dignitatis, vel ut ipſe ſolutior eſſet in adminiſtrandis rebus Reipublicae Florentinae, & huic poſtulationi Pontificem, qui initio faverat, poſtea reſtitiſſe, eamque cauſſam, praeter ceteras, fuiſſe offenſionum graviſſimarum, quae tantam malorum iliadem pepererunt. Sed de honore Juliani actum eſt fortaſſe poſtea, ut ex litteris Cardinalis Papienſis intelligi poteſt, cujus eximia in Laurentium ſtudia nequicquam valuerunt ad expugnandum Pontificis animum (32). Perfunctus Romana legatione Laurentius libenter arripuit occaſionem, in qua animi conſiliique magnitudinem poſſet oſtendere. Diſſidebant Volaterrani a Florentinis, quos, inventis aluminis fodinis, periculi & lucri ſocios ſibi adſciverant. Cauſſa autem diſſidendi fuit, quod Florentini homines induſtrii, qui omnes ſane vias pecuniae norant, uberrimos ex hac re fructus percipiebant praeter Volaterranorum expectationem, qui parum ſibi utilitatis principio polliceri videbantur. Ab ipſa igitur experientia edocti fodinas illas magno civitati fore emolumento, quoniam infectoribus magnus fuit ſemper aluminis uſus, jure agere cum privatis coeperunt, contendentes quidquid ex iis commodi hauriretur ad publicum

blicum aerarium pertinere. At Florentina Reſpublica non ſuorum modo civium, ſed & proprium jus defendendum putavit, quod pro ſummo imperio, quod in Volaterranos exercebat, deberi ſibi diceret quidquid vel a natura abditum, vel ab hominibus occultatum ſicuti theſauros, ſigna, aliaque hujuſmodi in apricum proferret aut aetas aut hominum induſtria. Hoc judicio Volaterrani exacerbati ſuum jus armis, quando legibus non licuiſſet, recuperare deliberarunt: tantaque vis irae in eorum animos invaſerat, ut nonnullos occiderint, qui ſuadebant, ne quintum jam Florentinorum arma vellent experiri. Petro etiam Malegonellio, qui Reipublicae nomine iis praeerat (*Commiſſarium* vocabant) neque ſe ſe obtemperaturos, neque honorem habituros aperte atque palam dicebant. Haec res movit Florentinos, non quod diffiderent propriis viribus, ſed quod timerent ne, ſi vim Volaterranis attuliſſent, odium & arma in ſe concitarent Romani Pontificis, qui ſibi commendatam illam civitatem eſſe dicebat, & Neapolitanorum Regis. Quare extitit Thomas Soderinius, qui tranquillitati non irae ſerviendum conſuluit, ſedandos motus, molliendos animos, & ſi Volaterrani in fide Reipublicae ſe manſuros ſpopondiſſent, veniam iis concedendam: nam non expedire certa incertis commutare. Avidus Laurentius belli gerendi ampliandaeque Florentinorum ditionis, moveri quam ſedari o-

mnia malebat. Itaque tali apud concilium oratione eſt uſus: *cauſſam non aliam majorem fuiſſe bellum inferendi Volaterranis, quam quod ipſi, ſumptis armis, a Republica defeciſſent: cum armato hoſte infeſtis animis concurri debere: mitem & clementem animum aut victis aut poenitentibus reſervandum: quae dixerit Soderinius, vir cetera prudens, ſtudio Reipublicae illum dixiſſe, verum ſententiam illius alienam a Republica ſibi videri, quod tempus, fortuna, utilitas, crimen ſuaderent ſtultae rebellionis poenas a Volaterranis expetendas, hac etiam de cauſſa ne illorum ſceleris contagio latius pateret; dolere ſe quod haud opportuna res cecidiſſet, ob quam multi ſibi crudele ingenium eſſe ſuſpicari potuiſſent; ſed ita probandam eſſe manſuetudinem atque clementiam, ut adhibeatur etiam Reipublicae cauſſa ſeveritas: huic quidem ſe non defuturum ſi audacter & fortiter ſententias dicere vellent.* Hac oratione habita, mirum in modum converſae ſunt omnium mentes, ſummaque alacritas & cupiditas belli gerendi innata eſt vel iis, qui rem ad otium deduci conſuluerant. Ubi vero in vulgus elatum eſt, Florentinos bellum inlaturos Volaterranis, hi nuntiis ac litteris omnes fere Italiae Principes ſollicitarunt ad ſubſidia ſibi ferenda; ſed haec obtinendi nulla iis ſpes oſtentata eſt niſi a Senenſibus atque a Plumbini domino. Interim ea raptim parant, quae ad defendendam civitatem uſui eſſe poſ-

ſent, & manum mille & amplius armatorum colligunt ex agreſti luxuria, ex ruſticis mediaſtinis, ex civibus deſperatis. Multo majora compararunt Florentini, & ne deeſſent nummi, qui ſunt belli nervi, auctore Laurentio ex publica quadam menſa (*Montem* dicebant) c. florenorum millia coegere (33). Si Machiavellio quis credat quandoque rerum numerum augenti, ad decem uſque millia peditum & ad duo millia equitum conſcripta fuere: ſed nos ſequi malumus Ammiratum non incertum rerum Florentinarum ſcriptorem, qui duplo fere illum numerum minuit. Hujus exercitus imperium dedere Friderico Urbinatium Principi, qui primis excurſionibus univerſo Volaterranorum agro, nemine obſiſtente, potitus eſt. Poſt id adoritur urbem, quae, quod edito & praerupto loco ſita ſit, ab ea tantummodo parte, in qua S. Alexandri ſunt aedes, oppugnari poſſe videbatur. In hanc igitur partem impetum Florentini faciunt, quibus cum impares & numero & genere militum ſe eſſe cernerent hoſtes, moenibus non excedebant. Sed brevi omnium animos deſperatio occupavit. Itaque miſſi legati de deditione, qui jurarent non recuſaturos Volaterranos, quominus perpetuo ſub Florentinae Reipublicae ditione atque imperio eſſent, dum ne calamitates victorum ſubirent. Minime reſpuit conditionem Fridericus, ſuiſque urbem ingredientibus imperavit, ut ab omni malefi-

F 2

Digitized by Google

cio atque injuria abſtinerent. Sed cum ipſe medius inter legatos veniſſet in forum, atque urbis Magiſtratum (*Priores* vocant) juſſiſſet e domo praetoria excedere, unus ex his caſu in militum cohortem incidit, & cum irriſione veſtibus ſpoliatur. Hinc tanquam omnibus datum ſignum eſſet ad praedandum, contempto Friderici imperio, non modo ii, qui Florentinorum, ſed etiam qui Volaterranorum ſtipendia merebant, immani avaritia nocentiſſimi fana atque domos expoliare, non virginibus, non matribus familiarum parcere, caedem, incendia facere, armis, cadaveribus, cruore atque luctu omnia complere. Ita nobiliſſima & antiquiſſima Etruriae urbs pene exciſa fuit, & quae ducentis & amplius annis ante, quamvis vi capta a Florentinis, nullam a victoribus injuriam acceperat, dedititia nulla non belli mala perpeſſa eſt (34). Sed haec magis, quam temporum licentiae, perverſo mori tribuenda ſunt, qui diu in Republica Florentina malo illius fato obtinuit, mercenarios atque externos milites ſcribendi. Hi enim ſaepe erant in bello ignavi atque infidi, nunquam non in victoria inſolentes atque rapaces, & hac una fortaſſe re commendandi, quod cum pericula mortis declinarent, neque admodum eſſent rei militaris periti, & diſciplinae patientes, efficiebant ne praelia multo ſanguine foedarentur. Hoc bellum feliciter adminiſtratum maxima laetitia affecit Florentinos, hique divi-

nam Laurentii prudentiam ad caelum efferebant, quod ſalutaria conſilia dediſſet, eaque praedixiſſet, quae ad exitum omnino pervenerunt. Ipſe tamen, quod eam praeclaram victoriam ducebat, in qua plus eſſet clementiae quam crudelitatis, non poterat non execrari praedatorum direptorumque ſaevitiam, dolebatque hanc ſibi culpae verti a nonnullis, qui invidia laudem virtutis obterebant. Cumque ad Volaterranos ipſos acceſſiſſet (35), ita ſublevavit multorum calamitates, ut non minus illos laeſiſſe aliorum improbitas, quam erexiſſe bonitas ac beneficentia Laurentii videretur. Nihilo tamen minus haud potuit omnes ſanare & placare Reipublicae, quapropter ad contumaciores in officio continendos arx aedificata eſt eo in loco, ubi erant Epiſcopi aedes, eaque ſatis valido praeſidio munita collecto ex tota illa noſtra aſpera & montuoſa & fideli & ſimplici & fautrici Mediceorum regione Aemilia, cujus praeſidii Laurentius uni ex majoribus meis imperium dedit (36). Propter haec cum magnum pondus acceſſiſſet auctoritati Laurentii, nulla res major ſine eo gerebatur, celeriterque quae opus erant reperiebat: neque minus in rebus gerendis promptus quam excogitandis erat, quod & *de inſtantibus*, ut ait Thucydides, *veriſſime judicabat, & de futuris callidiſſime conjiciebat*. Vel ii, qui maligne dictitabant eum eſſe ſtatum Reipublicae, ut non aliter conſtaret ratio, quam ſi uni reddere-

Digitized by Google

tur, mirabantur, & fortaſſe etiam laetabantur propter civitatis decus, tantam ſibi prudentiae laudem florenti aetate quaeſiviſſe Laurentium, ut ei uni plurimum vel magni & a noſtris regionibus remotiſſimi Reges tribuere viderentur, ejuſque fidei maximi momenti negotia concrederent. Cujus rei multa poſſem exempla afferre, ſed uno nunc contenti erimus, quod Gallorum Regis litterae ad Laurentium ipſum ſuppeditant. Per hunc enim Carolo filio Delphino nuptias ſibique Neapolitanorum Regis amicitiam & ſtudia conciliari optabat (37). Quae ſi ad exitum perveniſſent, tot fortaſſe detrimenta per eumdem Carolum, poſtquam Rex factus fuit, Aragoniis univerſaeque Italiae minime importata fuiſſent. Multis ſimul Ludovicus anxius curis, ad quas levandas, ſuis omnibus maxime diffidens, Laurentii operam utilem exiſtimabat, petiit ab eo, ut aliquem in Galliam legaret, qui apud ſe commoraretur, & quocum de communibus rebus coram agere poſſet. Quodque miraberis, a Laurentio non ſolum fidelem virum ſibi mitti expetebat, ſed etiam canes, qui prope ſe diu noctuque excubarent. Nemo enim ignorat quantum illum conſcientia fecerit timidum atque ſuſpicioſum. Verum quod is vir erat Laurentius, qui multorum rationibus utiliſſimus atque amiciſſimus fore exiſtimaretur, iſtac de cauſſa minime ſuperbiebat, & quo plus auctoritatis in ſuadendo habebat, eo magis alio-

Digitized by Google

rum conſiliis tribuere videbatur. Uſus eſt praeſertim in iis, quae ad Rempublicam pertinebant, Joanne Caniſianio, Thoma Soderinio & Antonio Puccio, quorum fidem & amorem in ſe, & ſtudium in civitatem ſingulare ſaepe expertus fuerat. Adhibuit etiam interdum conſilium & operam Cardinalis Jacobi Ticinenſis, quo arbitro ſedavit aliquando ortam de finibus controverſiam inter Fojanenſes & Lucianenſes, quorum hi Senenſibus, illi Florentinis parebant (38). Is vir in agro Lucenſi non longe a Piſcienſibus humili loco natus, cum in familiaritatem Aeneae Sylvii Cardinalis Piccolominei ſe inſinuaſſet, probitatis, integritatis, elegantiae morum, & doctrinae commendatione ab eo, poſtquam factus fuit Pontifex Maximus, non ſolum Cardinalis, ſed etiam Ticinenſium Epiſcopus creatus eſt (39). Extat epiſtolarum volumen, quas ille aut ſuo aut Pontificum nomine ad ejus aetatis Principes aut ad amicos ſcripſit, quas qui leget non multum deſideret hiſtoriam contextam illorum temporum. Ex his quoque intelliges quantum valeret ejus auctoritas apud Laurentium, qui id ſemper ſe expetiviſſe, id optaſſe, id precatum eſſe dicebat, ut familiaritates haberet fidas amicorum amantium ſe, & bene de Republica ſentientium. Cum autem ei eſſet perſuaſum veriſſimam eſſe Platonis ſententiam, beatas fore illas Reſpublicas, quas philoſophi moderarentur, ſibi toto pectore in hanc curam incumben-

Digitized by Google

dum putavit, ut omnem optimarum rerum cognitionem, atque in iis exercitationem, quae vere philoſophia nominatur, non modo in ſe, ſed etiam in aliis proveheret. Effecit itaque ut eſſet Piſis quaedam officina ſapientiae, reſtituta nobiliſſimae civitati Academia, quae adeo ſiluerat, vix ut eſſe amplius videretur. Ipſa quidem coeperat florere poſt annum MCCCXXXVIII. diſcipulorum & praeceptorum nobilitate. Sed quae civitati poſtea inciderunt tempora calamitoſiſſima, cum pernicie ipſius Academiae fuerunt conjuncta. Bella, civiles diſcordiae, annonae caritas, peſtilentia, potentiorum tyrannides & alia hujuſmodi mala perpetuo ſibi ſuccedentia non ſolum exteros ab Academia averterunt, ſed coegerunt Piſanos ipſos aut omnem cogitationem de litteris addiſcendis deponere, aut alio concedere, ſi quos forte, qui rari ſemper extitere, tangebat cura aliquid in doctrinis proficiendi. Poſtremo ex aerario inopi & pene exhauſto tanta Florentinis ad redimendam pacem, & Neapolitanis foederis cauſſa ſolvenda fuit pecunia, ut cum amplius nihil haberet Reſpublica, quod corrogaret, decretum fecerit VI. id. Maii an. MCCCLIX. *ne Piſani cives electi ad Lectorum ſedes deputandas ullum vel Doctorem, vel Licentiatum eligerent, qui vel Decretum, vel Decretales, vel Sextum, vel Clementinas, vel Infortiatum exponeret*. Poſt haec varia ſors fuit Academiae, ſed non ita proſpera, ut victricibus Florentinorum armis re-

ſiſtere

ſiſtere potuerit. Cum a domitis atque deletis pene Piſanis nihil amplius eſſet timendum, Florentina Reſpublica, auctore maxime Laurentio, de inſtauranda renovandaque Academia conſuluit (40). Lata itaque XIV. Kal. Januarii an. MCCCCLXXII. lex fuit, qua ſancitum, ut decora & commoda Academiae ſedes Piſis conſtitueretur, & quotannis ei ex publico aerario ſex florenorum millia penderentur ad ſolvenda ſtipendia magiſtris, qui nobiliſſimi undecumque acciri & in quinquennium conduci debebant. Ad haec proviſum, ut ſingulis annis univerſa Academiae cura ac regimen quinque Florentinis civibus ingenio, prudentia ſpectatiſſimis committeretur, quorum quatuor ex ſingulis regionibus, in quas Florentina civitas diviſa erat ex prima civium claſſe eligerentur, hiſque adderetur quintus ex univerſo minorum civium ordine, qui omnes *Officiales Studii* vocarentur. His poteſtas data non ſolum minores adminiſtros, ſed etiam Praefectum eligendi, qui pecuniae erogandae, rerumque gerendarum curam ſuſciperet. Eodem tempore conſultum eſt Florentinis, ut iis eſſent grammaticae, oratoriae atque poeſis praeceptores, quo paratiores ad Academiam Piſanam accederent. Cautum enim lege fuit, ut omnes, qui Reipublieae Florentinae imperio parerent, ſi doctrinae inſignibus decorari vellent, & cauſſas in foro agere, Piſanos praeceptores audirent, poena D. florenorum in eos conſtituta, qui exteras Academias frequentaſſent.

Licet autem Quinqueviris illis tributa auctoritas fuiſſet ferendarum legum, quod optimis tamen inſtitutis exculta conſtitutaque Academia Florentina videretur, haec ad uſum Piſanae transferri placuit. Leges autem illae an. MCCCLXXXVII. ſcriptae fuerant, atque in CVIII. capita, ſeu, ut vocant, *rubricas* diſtributae, quibus anno MCCCCXXXI. ſex aliae rubricae additae ſunt, atque hae omnes ſolemni ritu & ſummi Magiſtratus ſuffragiis confirmatae. His res Academica gubernata eſt ad annum uſque MCCCCLXXVIII. quo nova legum naſcitur ſeries, quas tamen niſi biennio poſt Reſpublica Florentina auctoritate ſua minime comprobavit. De reliquo adeo ſolliciti erant Quinqueviri de rebus Academiae, ut non ſolum de iis per litteras doceri vellent, ſed etiam ſaepe Piſas concederent coram inſpecturi, num ea, quae ſtatuiſſent, recte procederent. Primi, qui hoc munere functi ſunt, fuere Thomas Ridolphius Aloyſii F. Laurentii N. Donatus Acciajolius Nerei F. Donati N. Andreas Puccinius Franciſci F. Andreae N. Alamannus Rinuccinius Philippi F. & Laurentius Medices, qui omnes conſilio & auctoritate anteibat. Quod facile appareret omnia illos munifice & propenſo in litteras animo facturos, multi, inter quos fortaſſe miraberis fuiſſe omnium ſuae aetatis litteratorum ambitioſiſſimum Franciſcum Philelphum (41), inflammabantur deſiderio operam locandi ſuam Academiae (42). Incredibile autem eſt quantum eniteretur, elaboraret,

eblandiretur Laurentius, ut ad illam celebriores traduceret, quorum hoc loco juverit nonnullos nominare. Eminebant inter juriſconſultos Bartholomaeus Mariani Soccinius Senenſis (43), Baldus Bartolinius, ſeu, ut vocari ſolet, Baldus junior (44), Lancellottus & Philippus Triſtani Decii filii (45), Petrus Philippus Cornius (46), Felinus Sandeus (47), & Franciſcus Accoltus (48), qui omnes non modo in unius provinciae, ſed in omnium ſere gentium luce atque oculis magni putabantur. Primas in medicina agebant Albertinus de Chizzolis (49), Alexander Sermoneta (50), Joannes de Aquila (51), & Petrus Leonius, qui cunctos medendi arte anteire putabatur (52), in philoſophia Nicolaus Tignoſius (53), in humanioribus litteris Laurentius Lippius (54) & Bartholomaeus a Prato Veteri (55). Divinarum rerum ſcientia clari putabantur Dominicus de Flandria (56), & Bernardinus Cherichinius, quorum alter e Dominicana, alter e Franciſcana familia erat. His quidem ſtipendia ampliſſima decreta, Soccinio DCC. floreni, totidemque fere Felino Sandeo, Baldo juniori ML. Accolto MCCCCXXXX. & quo ſumptus publici aerarii minuerentur, obtinuit Laurentius a Sixto IV. Pontifice Maximo, ut ex annuis ſacerdotiorum redditibus per quinquennium *florenorum largorum*, ut loquebantur, millia quinque in uſum Academiae impenderentur. His etiam interdum acceſſio facta eſt ex privato Laurentii aerario, qui

Digitized by Google

poſſe liberalitate uti, dum ne patrimonium exhauriret, maximum pecuniae fructum eſſe exiſtimabat. Saepe aderat praeſens in concertatoriis illorum diſputationibus, & quod nonnulli ex iis erant non modo obtrectatores & adverſarii laudum, ſed etiam ſeditioſi, id curabat ut ſocii potius & conſortes glorioſi laboris eſſent, & laudabili aemulatione ſe ſe ad amplificandum Academiae decus provocarent. Harum controverſiarum cauſſa Soccinius ad Venetos tranſire & Academiam ipſam deſerere deliberavit eo tempore, quo fidem ſuam tertio ei obligaverat. Occultandi igitur ac diſſimulandi diſceſſus cauſſa multam & lautam ſupellectilem, praeſertim librorum, in vaſis vinariis condidit, & ipſe noctu aufugit. Comprehenſus in carcerem Florentiae conjicitur, & laeſae majeſtatis crimine damnatur. Huic turpi judicio audacter obſtitit Laurentius, illa uſurpans verba: *excellentem in arte mori non debere;* neque ſolum poena illum liberavit, ſed etiam effecit, ut in triennium ille iterum conduceretur ad Caeſareum jus docendum, mille florenorum ſtipendio eidem aſſignato. Curavit etiam, ut ſemel iterumque rediret ad Academiam Philippus Decius; ſed neque muneribus, neque bonitate incredibili lenire, ne dicam ſanare potuit hominis turbulentiſſimi iram, temeritatem, inconſtantiam, qui cum demum graves & miſerabiles caſus perpeſſus fuiſſet, effecit ut vere dictum videatur, *ſui cuique mores for-*

tunam fingunt. Liberavit periculo & caſu triſti illius fratrem Lancellottum, cum impenſe rogaretur a Triſtano patre (57), qui erat indulgentia ſingulari in liberos, quamvis merito doleret apud hos non ſemper valere ſapientum judicium atque exiſtimationem, morem, officium & poſteritatis verecundiam. Quibusdam conjecturis ducor ad ſuſpicandum eximia liberalitate ſtuduiſſe Laurentium, ut Academiae operam praeſtaret illud juris prudentiae oraculum Jaſon Mainus. De traducendo ad illam Bulgarinio, florenis uſque M. oblatis illi, ſane vehementer egit; neque mediocris erat induſtriae ac pecuniae allicere ac retinere homines, qui tum more belli Ducum hac atque illac ita vagabantur, ut in locanda opera nil aliud, niſi quaeſtus magnos atque uberes ſibi proponere viderentur. Infinitum vero eſſet, ſi vellem eos omnes commemorare doctrina claros, qui beneficiis & honoribus a Laurentio fuere ornati, cujus naturalis bonitas, quae nullis caſibus minuebatur, omnes ad illum amandum atque honorandum non ſolum invitabat, ſed etiam trahebat. Quare & perfugium & praeſidium litterarum, & Academiae Piſanae procreator quidam & quaſi parens merito appellabatur. Quod Piſanum caelum craſſum atque concretum morborum & peſtilentiae ſaepe metum afferret, rei litterariae utilitati, ſalutique magiſtrorum ſe conſulere Laurentius putavit, ſi his veniam impetraſſet, impendente periculo, ſolum cum

diſcipulis univerſaque re Academica vertendi. Ex quo factum eſt, ut ſemel iterumque Piſtorii (58) & Prati ipſi conſederint, Florentiae quoque ſcholas aperuerint, & de ſede aut Emporii, aut in urbe S. Miniatis, poſtquam per ſexennium fere vagi erravere, collocanda moderatores cogitaverint. Sed ipſa tandem Academia domicilium certum habuit Piſis, poſtquam ope conſilioque Laurentii eo loci ſatis magnificum exaedificatum eſt theatrum, in quo ſcholae omnes antea per urbem diviſae (59), ſtataeque juvenum exercitationes haberentur. Etſi negotiis publicis & familiaribus Laurentius impeditus vix ſatis otii ſtudio ſuppeditare poſſet, & id ipſum, quod dabatur, otii libentius in philoſophia conſumere conſueviſſet, nunquam tamen contempſit ea, quae ad rationem dicendi pertinent; & eo majorem cogitationem ſuſcepit de humanioribus litteris tum Piſis tum Florentiae provehendis, quo magis noverat plurimum habere in ſe fructus copiam dicendi & commoditatem orationis, ſi recta intelligentia & definita moderatione animi gubernetur. Dolebat multos eſſe iis temporibus, qui inani arrogantia elati multa ſe ſcire arbitrabantur, quod veterum philoſophorum quaſdam ſententias memoriter recitare poſſent, & qui cum ex inſipientium judicio penderent, frugiferam & fructuoſam philoſophiam contemnerent, neque intelligerent, quamvis in philoſophia res ſpectari, non verba pendi ſoleant, quantum ei ornamenti afferat dicendi

elegantia. Hujus igitur excolendae cauſſa effecit, ut litteras Graecas publice Florentiae docerent (non enim ignorabat a Graecis philoſophiam, poeſin, oratoriam omneſque ingenuas diſciplinas dimanaſſe) Graeci homines Joannes Argyropylus, & poſt hujus diſceſſum Demetrius Calcondylas & Joannes Andronicus Theſſalonicenſis (60). Actum etiam de Philelpho Florentiam, a qua exulare coactus fuerat, ea de cauſſa revocando, eoque mortuo, ſibi provinciam illam datam memorat in annalibus Bartholomaeus Fontius. Verum illos omnes ingenio, doctrina atque elegantia vincebat Angelus Politianus, quo docente, Athenarum gloriam Florentina civitas aequare videbatur. Hujus quidem hominis omni aetate admirandi laudes adeo cum Laurentii gloria conjunctae ſunt, ut communes eſſe videantur; quapropter a propoſito inſtitutoque meo non digredi judicabor, ſi de eo paullo latius dixerim. Natus ipſe in monte Politiano patre Benedicto de Ambroſinis (61), puer ſtudiorum cauſſa Florentiam venit; cumque nil cuperet magis, quam ut Laurentio cognitus eſſet, id facile poeſis commendatione obtinuit. Suſpexit enim adeo Laurentius quae Angelus Italicis carminibus cecinerat de laudibus Juliani fratris (62), qui palmam in haſtatorum ludis acceperat, ut apud ſe habere puerum voluerit, cujus ingenium non jucundum ſolum, ſed etiam admirabile ſtatim ſibi viſum eſſe affirmavit. Nihil profecto his carminibus no-

bilius, quae ita affluunt omni lepore ac venuſtate, tantaque ſententiarum concinnitate, ut non ceteros modo, qui ante eum fuere, ſed & poſteriores multos poetas Auctor ſuperaverit. Non ignoro judicatum ab intelligentibus viris, in ſumma ubertate eſſe luxuriem quamdam, praeſertim quando poeta a propoſito argumento digreditur, quae ſtilo depaſcenda erat; ſed dandum eſt aliquid aetati (nam vix decimum quintum annum expleverat, quando poema illud condidit) cui nihil tam difficile, quam redundantiam reprimere, & flumen verborum & ſententiarum quaſi extra ripas diffluens coercere. Adde quod Politianus extremam manum huic poemati minime impoſuit, quamvis talis evaſerat, ut arte potuiſſet perficere, quod incitatio mentis divina effuderat. Nam philoſophandi ſcientiam, quanquam & in hac plurimum fuerit verſatus, concedens multis, apte, eleganter ornateque ſcribere, quoniam in hoc ſtudio vitam conſumpſit, ſi id ſibi aſſumebat, videbatur id ſuo jure quodammodo vindicare. Et hoc quidem perpaucis contigiſſe video, ut idem & Italice, & Latine, & Graece tum numeris ſoluta, tum ligata oratione ſcriberet elegantiſſime. Sed ne ſemper politius limaret, quae exarabat, multae & variae occupationes, & mandata, quae a Laurentio habebat, obſtabant. Eo tempore, quo apud hunc habitare coepit, in Latina interpretatione Homeri dies ac noctes urgebatur; & quod videbat illum plurimum

induſtriae

induſtriae ſuae favere, corrigendis Graecis codicibus, & aliis interpretationibus conficiendis non mediocrem operam dabat. Quanquam ſe plurimum gratulari Florentinis ajebat, quod Coſmi & Laurentii Mediceorum ſtudiis factum eſſet, ut in eorum *civitate Graeca omnis eruditio jampridem in ipſa Graecia extincta ſic revixerit atque effloruerit, ut ii homines Graecam publice litteraturam profiteantur, & primae nobilitatis pueri, id quod mille retroannis in Italia contigit nunquam, ita ſincere Attico ſermone, ita facile expediteque loquantur, ut non deletae jam Athenae atque a Barbaris occupatae, ſed ipſae ſua ſponte cum proprio avulſae ſolo, cumque omni ſua ſupellectile in Florentinam urbem immigraſſe, eique ſe totas penituſque infudiſſe videantur* (63). Quae beata tempora dum recordamur, noſtrorum eo magis piget taedetque, quibus vel ſub optimo Principe plerique nobilium dediti corporis gaudiis per luxum atque ignaviam aetatem agunt, & ingenium, quo neque melius neque amplius aliud in natura mortalium eſt, incultu & negligentia miſere torpeſcere ſinunt. Quis vero non commendabit Politianum, quod omnia ſtudia ſua, omnes vigilias Laurentio dedicaverit, nullamque praetermiſerit occaſionem qua voce, qua ſcriptis divini viri laudes ad caelum efferendi? Sed accidit hominum quorumdam perverſitate, ut ea de parente ac mecaenate ſuo amantiſſimo atque liberaliſſimo in de-

ſcribenda Pactiana conjuratione (64) memoriae prodiderit, quae ne oculis videret ſuis, extinctum ſe ſe, atque infra omnes mortuos amandatum optaſſet. O conditiones miſeras adminiſtrantium Rempublicam, in quibus diligentia plena ſimultatum eſt, negligentia vituperationis, ubi ſeveritas periculoſa, liberalitas ingrata, & potentia perniciosa! Cum is eſſet Reipublicae ſtatus, ut Laurentius & Julianus principatum in civitate ſua obtinerent, ac maxime populo eſſent accepti, ſive invidia, ſive odio ob non delatos honores, & ob inlatas injurias quaſdam (nam, auctore Laurentio, lex fuerat promulgata, quae feminas hereditate paterna privabat, ne filia Joannis Boromaei & uxor Joannis Pactii ampliſſimis bonis ditaretur) Pactiorum familia nobilitate & opibus inſignis de eorum potentia non ſolum opprimenda, ſed iiſdem etiam de medio tollendis deliberavit. Uni obſtare videbantur Renatus & Guilelmus, qui Blancam Laurentii ſororem in matrimonium duxerat, ex eaque plurimos ſuſceperat liberos; ceteri ad unum omnes paratiſſimos ad omnia ſubeunda pericula pro patriae libertate ſe fore oſtendunt, ſeque non ſolum privatas, ſed etiam publicas injurias vi manuque ulturos jurant. Qui familiae princeps erat Jacobus Pactius primas ſibi in tanto facinore aſſumebat, quamvis ſingularibus a Laurentio antea ornatus fuiſſet beneficiis (65); & ad quidlibet audendum idoneus eſſe videbatur vaſtus ani-

mus, immoderata, incredibilia, ac nimis alta ſemper cupiens, & quem peſſima atque diverſa inter ſe mala luxuria, ambitio atque avaritia vexabant. Is dies noctesque aleae vacabat, ſolitus, quoties res male cecidiſſet, furentium more homines Deumque deteſtari. Plures ei erant fratrum filii (nam nullos liberos praeter notham genuerat) inter quos eminebat Franciſcus, ipſe quoque quaeſtui ac ſumptui deditus, audax, cupiditatibus ardens, ſubdolus, varius, cujuslibet rei ſimulator ac diſſimulator, qui cum Romae degere ſoleret nummariae Pactiorum menſae & ipſi Pontificio aerario praefectus, ibi prima conjurationis ſemina jeciſſe dicitur. Nam re communicata cum Franciſco Salviato, qui non multo antea, vel invito Laurentio ceteriſque, qui in Republica primas agebant, a Sixto IV. Pontifice Maximo (66) Piſarum Archiepiſcopatu decoratus fuerat, quique odio in Mediceos fratres, maliſque moribus, maximeque ſuperbia, ambitione atque petulantia praeſtare videbatur, non hunc modo, ſed & Hieronymum Riarium Comitem Pontificis ſororis filium, & avunculi conſiliorum omnium moderatorem, atque Pontificem ipſum ſe ſe adjutores habiturum intellexit. Non una erat cauſſa Sixto ſui in Laurentium odii, & erat plerumque implacabilis illius iracundia, quanquam affirmaretur, inſidioſe fortaſſe, Laurentio, ſi Romam adveniſſet (67), fore ut omnia placarentur inter illum & Pontificem non mo-

do ſermone ac diſputatione, ſed conſpectu ipſo atque congreſſione. Dederat is quidem ſecreto in bello Tifernati auxilia Nicolao Vitellio, & quod ageretur ſalus ſociorum & amicorum, & quod periculum erat, ne ſi Pontifex Tiferno potiretur, victricia arma ad occupandum vicinum Florentinorum oppidum Burgi S. Sepulchri converteret (68). Idem grandem pecuniam crediderat Aſtorri Manfredio, quod metuebat ne ille ſuis bonis Faventinaque ditione ob aes alienum a Pontifice privaretur. De adjiciendo Foro Cornelio Florentinorum imperio, poſtquam an. MCCCCLXXI. a Galeatio Maria Sfortia ipſum Tadaeo Manfredio ereptum fuerat, magnopere laboraverat (69): fama erat in Peruſinis motibus Carolo Montonio Braccii filio patriae dominationi inhianti ipſum faviſſe (70): interdum etiam inſolenter gloriari videbatur, quod plus apud ſe poſſet Florentini populi utilitas, quam Pontificis Romani auctoritas: ad haec Sixtus bonum publicum ſimulans pro ſuorum potentia certabat, atque magna ſpe tenebatur, ſi res in Florentina Republica, amotis Mediceis, novarentur, facile ſe illius ditione Ferdinandi Neapolitanorum Regis favore, quem obnoxium fidumque ſibi fecerat, potiturum (71). Itaque Joanni Baptiſtae e Monte Sicco, qui eſt pagus Aprutianae provinciae, negotium dat, ut copias paret, quae in Aemilia & Umbria commorentur, ad omnem conjuratorum voluntatem exequendam paratae. Ex eo

tempore ira & metu anxius Franciſcus Pactius moliri, parare, atque ea modo in animo habere, quibus Medicei fratres per dolum interficerentur. Florentiam venit confirmandi ſuorum animos cauſſa, neque multo poſt Romam rediit iterum auxilia a Pontifice imploraturus. Poſt id maturandam rem exiſtimavit; reverſusque Florentiam, quo etiam advenerat Salviatus Archiepiſcopus, conjuratos, cum quibus ſingulis multa ſaepe egerat, univerſos convocat in ſuburbanam Jacobi Pactii villam, quam Montughium appellant. Eo convenere praeter Archiepiſcopum & Jacobum ipſum bini Jacobi Salviati, quorum alter Archiepiſcopo frater erat, alter patruelis, quibuſque quieta movere magna merces videbatur, Bernardus Bandinius & Napoleo Franzeſius Geminianenſis, homines ſummae audaciae, egentes, factioſi ac omni probro cooperti, Jacobus Poggius, qui in gratiam & favorem Pactiorum venerat non doctrina, qua excultus a patre litteratiſſimo fuerat, ſed levitate animi ac libidine permiſcendi omnia, omnibusque maledicendi, qui cupiditatibus ſuis obſiſtere poſſe videbantur, Antonius Maffejus Volaterranus Apoſtolicus ſcriptor, quem ad perturbandam Rempublicam non tam inopia ac mali mores ſtimulabant, quam odium in Laurentium ob memoriam calamitatum, quas ille patriae ſuae intulerat, Stephanus Sacerdos (72) Jacobo Pactio ab epiſtolis, Deo hominibuſque infeſtus, quod in eo nihil fuerit unquam

caſtum ac religioſum, & Joannes Baptiſta e Monte Sicco, qui ſpecie agitandi conſilia cum Laurentio Pontificis nomine de rebus Aemiliae aliiſque publicis, in Etruria conſederat. Erat is magni vir ingenii atque conſilii, & cum valeret quoque ſcientia rei militaris, ei maxime confidere videbatur Riarius Comes. Is captus adeo fuiſſe dicitur humanitate & munificentia Laurentii, ut ferme abjecerit propoſitum favendi conjuratorum inceptis. Fuere alii paullo occultius indigniſſimi conſilii participes, quibus Mediceorum potentia aut formidoloſa aut odioſa erat, quibuſque Pactii perſuaſerant, ſi conjuratio valuiſſet, gratiam, honores atque divitias apud illos fore. Quod nimis diu agitatum, pluribuſque compertum erat, facile ad Mediceorum aures perveniſſet, niſi ſuae illi nimium fortunae confidiſſent. Interea tempus advenit patrando ſceleri deſtinatum. Opportuna occaſio viſa eſt unum in locum congregandi fratres Mediceos adventus Raphaelis Riarii, qui paullo ante, dum Piſis Pontificio juri operam dabat, quamvis ad omne ſtudiorum genus eſſet ineptiſſimus, Cardinalis, & Spoletani Ducatus aliorumque locorum Legatus declaratus fuerat; nihil enim effuſius erat indulgentia Pontificis in ſuos. Ille conſcius jam perditorum conſiliorum cum divertiſſet ad Jacobi Pactii villam, quam ſupra commemoravimus, miſit hominem, qui nuntiaret Laurentio & Juliano velle ſe in Faeſulano illos convenire. Inſtruitur

convivium eo apparatu, qui deceret homines, qui non tam probitate & induſtria, quam divitiis & ſumptibus cum majoribus ſuis certabant. Ad illud tamen minime acceſſit Julianus, quod moleſta pituita impediretur. Hinc conſilium initum transferendi crimen ad vi. Kal. Majas (is tum erat annus mcccclxxviii. dies vero Dominicus ante Aſcenſionem Chriſti) quo die Cardinalis ſe in urbe iterum apud Laurentium pranſurum ſignificavit. Nihil doli ſuſpicans Laurentius idem ſe velle reſpondit quod placuiſſet Cardinali, ac jubet tabulas, toreumata, gemmas, magnum caelati argenti pondus ceteraque hujusmodi, quibus mirum in modum abundabat, exponi, quae aedes ſuas ſplendidiores, & convivium magnificentius facerent. Summo mane audiunt conjurati Julianum minime adfuturum convivio, quod minus belle ſe haberet; acceſſurum tamen ad templum majus, quod a S. Reparata nomen habet, cum fratre tum pietatis erga Deum, tum honoris cauſſa erga Cardinalem. De conficiendo ergo negotio ita deliberant; tempus ſacri ſolemnis opperiendum; initium caedis faciendum, cum Euchariſtia attolleretur, vel ut alii tradunt, cum frangeretur, vel abſumeretur (73); ut Franciſcus Pactius & Bernardus Bandinius manus Juliano injiciant, Antonius Maffejus & Stephanus Sacerdos gladiis adoriantur Laurentium, detrectante impium onus Monteſicco, qui a ſe minime obtinere poſſe affirmabat, ut

facinus hujusmodi cum re divina conjungeret; Salviatus Archiepiſcopus interea cum ſuis & cum Poggio aedes ſummi Magiſtratus ſedem occuparet. Jam coepta erant ſacra, concinente Sacerdotum choro, & Cardinali in ſuggeſtum de more ſubducto, cum Pactius & Bandinius animadvertunt minime cum Laurentio adveniſſe Julianum. Quapropter convolant ad Mediceas aedes, ut cunctanti ſtimulos addant: tandem prodeuntem honoris cauſſa medium comitantur, inſertis juvenili more ſubter humeros bracchiis, noſcendi cauſſa num lorica tegeretur, inlatiſque ſermonibus ad hilaritatem voluptatemque factis, ut minus attentum ad inſidias redderent. Ubi tempus incipiendae caedis, uti conjuratos inter convenerat, advenit, incredibili celeritate Bandinius pectus Juliani brevi gladio transverberat, quo accepto vulnere, ipſe fugere conatur, ſed cum ſe ſuſtinere non poſſet, paucos poſt greſſus in terram decidit. Adfuit tum Franciſcus Pactius, qui ſcelus anhelans rabidi leonis inſtar tot vulneribus Julianum confecit, ut vel in mortuum ſaevierit, ſeque ipſum graviter in crure vulneraverit. Non aeque feliciter res proceſſit iis, qui adorti ſunt Laurentium, vel quod animo defecerint, vel quod ille fortius audaciuſque reſtiterit. Nam ut ſe peti vidit, humeralem amictum exuit, laevoque advolvit brachio, ut eo tanquam ſcuto tegeretur; dextrum vero

gladio

Digitized by Google

gladio armavit, ut vim vi repelleret. Tantam animi conſtantiam fortitudinemque prae ſe tulit, ut ſicarii perturbati animo aufugerint. Luculentam tamen in occipite plagam accepit, dum ſe ſe expedire conatur, & vulneratur etiam unus ex duobus, quibus utebatur, pediſsequis, qui in eo tuendo magnam virtutem praeſtiterunt. Perſonabat adeo templum fremitu, clamore & gemitibus, ut corruere videretur; qui eo convenerant alii aliam in partem perterriti ferebantur; Cardinalis aegre a Sacerdotibus, cum ad aram confugiſſet, in tuto ponitur; Laurentius, hortantibus opemque ferentibus amicis, novum in ſacrarium ſe ſe recepit. Laetus Bandinius interitu Juliani ad Laurentium contendit. Retardat eum mors, quam intulit Franciſco Norio (74) viro magnae fidei ac prudentiae, quem praeſertim adhibebant Medicei ad mercaturas faciendas. Ubi vero animadverſum periculum, quod Laurentio a Bandinio imminebat, aheneae ſacrarii fores occluduntur. Hae brevi ſtipantur juvenum armatorum manu, qui ſe amicos & neceſſarios eſſe clamabant; nihil de conjuratis timendum, ſi iis, priuſquam vires cogerent, reſiſteretur; quapropter erumperet ſtatim Laurentius, & ſuae ſuorumque ſaluti dignitatique conſuleret. Trepidatum primo; mox e ſuperiori feneſtra cogniti cum fuiſſent, fores aperiuntur. Placuit iis per compendia Laurentium domum deducere, ne in Juliani cadaver

foedatum ſanguine & vulneribus incideret, de quo cum continenter ſciſcitaretur, num ſalvus eſſet, ex ipſo amicorum ſilentio, quod evenerat, divinavit. Salviatus, qui ad Curiam cum hominibus armatis venerat, inter quos Peruſini quidam erant patria expulſi, quibus, cum mala abunde omnia eſſent, neque res, neque ſpes bona ulla, magnopere confidebat, nuntiat Vexillifero Juſtitiae (is tum erat Caeſar Petruccius, de quo ſupra mentionem fecimus, vir Laurentio amiciſſimus, quem ex humili loco ad ſummam dignitatem perduxerat) velle ſe cum eo, remotis arbitris, de rebus graviſſimis Pontificis nomine colloqui. Prandebat forte Petruccius cum Decurionibus ſuis (75), ut moris erat feſto die; & quamvis miraretur importunum hominis adventum, quod ea hora negotiis agendis aliena prorſus atque inepta videretur, ſurgit tamen e menſa, & Archiepiſcopum in conclave deducit. Coepto colloquio, non adeo ſibi conſtabat Archiepiſcopus, quin perplexa & male cohaerentia verba proferret, huc illuc volvebat oculos, & vultu ipſo non tam magni eventus expectationem, quam conſilium interimendi Vexilliferi oſtentabat; quapropter Petruccius, ut erat animo & dexteritate ſumma, foras ſe proripit, Poggium, quem in ſummis ſcalis offendit, arreptum crinibus in ſolum deturbat; ſublataque voce, apparitores ceteroſque Curiae adminiſtros advocat. Hi, cum accurriſſent,

Archiepiſcopum corripiunt, qui fruſtra Peruſinorum aliorumque conjuratorum ſubſidium expectavit. Nam ii ingreſſi majoris cubiculum Scribae, ex eo prodire minime potuerunt, quod fores vel leviſſime impulſae ſe ſe ultro occluderent (76). Cum irrupiſſent poſtea alii armati in Curiam, diverſi Archiepiſcopum quaerere, alios occurſantes adoriri, ſcrutari loca abdita, occluſa effringere, ſtrepitu & tumultu omnia miſcere. Arrepto e culina veru (nam nullum aliud telum tum praeſto erat) Vexillifer fores ſummae turris, ad quam cum Decurionibus confugerat, fortiter defendit. Lictores interea armatorum multos comprehendunt, ac ſeparatos in vincula conjiciunt. Jacobus Pactius, ubi in tuto eſſe Laurentium audivit, ira, metu & conſcientia ſceleris perculſus in terram decidit; mox recuperato animo, cum omnem ſpem ſalutis in virtute poſitam eſſe intelligeret, recta ad forum contendit, populum ad arma convocat, omneſque invitat, ut in ea libertate, quam a majoribus acceperant, permanere, quam Mediceorum ſervitutem perferre mallent. Cum omnia contra ſpem opinionemque accidere doleret, ipſeque lapidibus peteretur, omnique convicio oneraretur, domum ſe ſe recepit, quo etiam Franciſcus, gravibus acceptis vulneribus, repente confugerat. Omnis interea juventus, omnes etiam gravioris aetatis, in quibus aliquid conſilii & dignitatis erat, ad Curiam venere, ad ſupplicium

flagitantes impios homines, qui patriae, libertati, parentibus atque aris ruinam paravere. Peruſini, effractis foribus, trucidantur; Franciſcus Pactius per vim e domo patrui nudus eductus ad laqueum rapitur pene ſemivivus; non enim facile aut pronum erat furentem populum continere. Nullum tamen ex eo exprimi verbum potuit, & paullulum etiam ſpirans, ferociam animi & vecordiam, quam habuerat vivus, in vultu retinebat. Eadem poena afficitur Piſanus Praeſul, ſed longiori laqueo e feneſtra Curiae ſuſpenditur, ſic ut lanians dentibus Pactii pectus expiraſſe videretur. Eamdem fortunam ſubiere Poggius & Salviati; & qui eos ſecuti fuerant armati plerique e feneſtris praecipitantur. Nullus modus eſſe videbatur populi furori, quem vel in ipſa cadavera exercebat. Dignum quoque moribus factiſque ſuis exitum vitae invenit Jacobus Pactius, qui unam, ut in miſeris rebus, ſpem reliquam ſalutis eſſe arbitratus, iter Aemiliae cum armatorum manu arripuit; ſed biduo poſt eo in loco, cui Falteronae nomen, a monticolis captus, ad quos conjurationis rumor pervenerat, traditur ſummo Magiſtratui. Vindices rerum capitalium laqueo ei gulam fregere, poſtquam omnia conjuratorum nomina aperuit; tumulatumque ſemel atque iterum, ad S. Crucis primum, mox in pomerio, totidem vicibus furens populus e tumulo eruit; & poſtquam (77) diu per urbem cadaver odore foedum raptum eſt,

in Arnum dejicitur, qui per illos dies magnis pluviis intumuerat. Ita ille patricius ex gente clariſſima, gravis aetate (nam LXX. annum agebat) qui omnes ſuperaverat divitiis, qui in Republica facile primas tenere potuiſſet, quique ob multa & inſignia merita jamdiu equeſtri ordine decoratus fuerat, vel honore caruit ſepulturae, ejusque mortis dedecus in poſteros redundavit. Eodem modo ſumptum ſupplicium eſt de aliis Pactiis, alii in vincula Volaterris contruſi, unuſque Guilelmus, impetrante uxore, quam ſororem Laurentio fuiſſe diximus, in villam relegatur. Laurentii percuſſores, qui triduo delituerant apud Benedictinos Monachos, omni diligentia perquiruntur, inventi praecisis ad contumeliam auribus & naſo, & omnibus probris maledictisque vexati (quem enim non commoviſſet criminis memoria?) jugulantur. Vix vero populus religione retineri potuit, quin ipſos in Monachos ſaeviret, quod parricidis aſylum praebuerint. Monteſiccus in ipſa fuga comprehenſus, poſtquam omnia uti geſta erant, & non ſolum conſilia, ſed etiam dicta Pontificis, & Comitis Hieronymi de tota conjuratione aperuiſſet, recte ſuſpenditur. Id graviſſime tulit Hieronymus Comes, & qui jam ante inimico in Laurentium animo fuit, multo gravius hoc dolore exarſit. Poena, quam ſequi oportebat, Bandinium diu morata eſt; nam cum illi fugienti fortuna faviſſet, Byzantium uſque pervenit. Sed qui

Conſtantinopolitani imperii clavum tenebat Mahometes, ubi de tota re edoctus eſt, tanti apud ſe nomen atque dignitatem Laurentii eſſe dixit, ut comprehenſum Bandinium ad eumdem deduci juſſerit. Cum Florentiam poſtridie idus Decembris anno MCCCCLXXIX. veniſſet, paucos poſt dies eodem ſupplicii genere, quo ceteri, quos criminis ſocios habuit, afficitur. Quo ſpectaculo laeti Florentini Legatum ad ipſum Turcarum Regem miſerunt Antonium Medicem, qui de conceſſo omnium nequiſſimo reo illi gratias univerſae Reipublicae Florentinae nomine ageret. Napoleo Franzeſius, opem praebente Petro Veſpuccio equite, fuga mortem vitavit. Populus ad ſupplicium rapi Riarium Cardinalem poſtulabat (78); ſed factum ſtudio Laurentii, ut is diligentiſſime conſervaretur, & ab omni injuria prohiberetur. Ea, quae fecerat, non fraude & malitia ſe feciſſe, ſeque ignarum prorſus fuiſſe quid conjurati moliti eſſent affirmabat, quae quamvis non haberent probabilem excuſationem, Laurentius tamen ejus aetati aliquid dandum (nam tum vix decimum octavum annum expleverat) & dignitati parcendum exiſtimavit. De aliis, qui erant in familia tum ipſius Cardinalis, tum Piſani Archiepiſcopi (79), quorum nomina referre non juvat, graviſſime acerbiſſimeque decernitur, ut foedae cadaveribus, quae a furenti populo in membra diſcerpebantur, multae urbis viae eſſent. Jam ante Laurentii fores

humanum caput lanceae praefixum allatum fuerat, & cum eo undique concurreretur, omnes ſe Mediceorum injurias defenſuros, & vel propinquiorum caſibus indigniſſimum facinus ſe ſe expiaturos oſtendunt. Tota urbe etiam conclamabatur *pilae pilae*, quod eſt Mediceae familiae inſigne, *proditoreſque pereant*. Atque etiam ſupplicationes Deo immortali indictae fuerunt propter ſervatam Laurentio vitam, atque per ſummos artifices ſculptae ejusdem imagines, quae tanquam votiva monumenta aris ſuſpenderentur (80). Tantam benevolentiam & fidem civium ſuſpiciens Laurentius, eorum animos oratione confirmandos putavit. Itaque apud populum concionatur: *injurias inimicorum in ſe commemorat, a quibus Pactios alioſque diductos & depravatos queritur invidia atque obtrectatione laudis ſuae, quorum ipſe honori & dignitati ſemper faverit adjutorque fuerit; peſſimum introductum exemplum dolet, ut non aperte armis dimicaretur, ſed occultis inſidiis & omnium divinorum & humanorum jurium everſione in libertatis arcem irrueretur; ſibi ſemper Reipublicae primam fuiſſe dignitatem vitaque potiorem; ad omnia ſe deſcendere paratum, atque omnia pati publici commodi publicaeque tranquillitatis cauſſa; ſe nihil non debere iis, qui exiſtimationem dignitatemque ſuam ab inimicis defenderent, temperandam tamen ſeveritatem, neque graviter adeo iraſcendum inimicis, ne qui eis nocere ſe ſperent, Rei-*

publicae noceant. Alia ejusdem generis addidit cum excuſatione quorumdam, quos animi nimis ad ulciſcendum ardentes caedi deſtinaſſe videbantur; cumque omnium ſeditionum vitia, pericula colligeret, repetens orationem ex rerum publicarum varietate ita tamen concluſit ad minuendum quorumdam crimen, *etſi omnes moleſtae ſemper ſeditiones fuiſſent, utiles tamen fuiſſe nonnullas, quod ad perdendos malos cives, & ad occulta mala patefacienda valuerint; adeoque non continuo, ſi quis motus factus eſſet, id in nefario crimine atque in fraude capitali ponendum: debere illos iracundiam ſuam externis hoſtibus reſervare, quos intra fines Etruriae ingreſſos jam eſſe & jam jam adventare nuntiabatur*. Nam Franciſcus Tollentinas Fori Cornelii Praefectus, & Laurentius Tifernas homines militari virtute clari ex Aemilia alter, alter ex Senenſium finibus venire ad conjuratorum ſubſidium a Pontifice juſſi fuerant. His auditis, non eſt credibile quot illi voluntatis & amoris Florentini ſigna dederint, rogare ipſum omnes atque obſecrare, ut ſuae ſalutis, ſui periculi rationem haberet, in illo ſpem omnem publicae felicitatis poſitam, ſe ſeque cupidiſſime quaecumque imperarit facturos. Vel ii, qui antea omnem ſibi dignitatem ex Laurentii invidia quaerebant, certare cum amiciſſimis videbatur, quo notior & teſtatior eorum voluntas eſſet in eumdem atque in patriam. Porro ſi animi fortis & conſtantis

eſt non

eſt non perturbari in rebus aſperis, neque vi ulla de gradu dejici, ſed praeſenti animo uti & conſilio, nec a ratione diſcedere, non video ſane, qui fortitudine Laurentio poſſit comparari. Intus foriſque omnia circumſpiciebat; litteras quoquoverſus ad amicos miſit, ut propere ſubvenirent: hortatur vicinas civitates, ut communis libertatis cauſſa arma capiant, iiſque certum numerum militum imperat, qui Florentiam conveniant. Quod timebat maxime, ne qua ab Aemilia irruptio fieret, mandavit majoribus meis (81) ut loca natura munitiſſima omni ſtudio omnique vi defenderent. Magnam ex agris in urbem frumenti omniſque commeatus copiam comportari, ceteraque parari juſſit, quae ad vim hoſtium ſuſtinendam eſſent neceſſaria. Non imperio modo, ſed conſilio ac prope precibus agebat cum populo, ne quis boni civis officium praetermitteret ad propulſanda pericula; & non ſecus ac ſi adeſſet hoſtis moenibus urbis, vigiliae ſtationeſque ita diſponuntur ferme ut contingerent ſe ſe. Obſervabantur quoque occulti ſingulorum hominum exitus, ne ullus perfidiae locus eſſet, neque tam remiſſo ac languido animo quiſquam omnium erat, qui tum ſibi conquieſcendum putaret. Attulit Florentinis magnam alacritatem adventus Joannis Bentivoli in Mugellanum agrum, qui ubi a Laurentio, quocum erat maximis amicitiae vinculis conjunctus, audivit ſalutem ſociorum ſummum in periculum ac diſcri-

men vocari, Bononia cum delecta manu iis auxilio venire maturavit. Verum cum Pontificii intellexiſſent ſalvum & incolumem eſſe Laurentium, ſublata e medio conjuratorum capita, patefacta Pontificis conſilia, & paratiſſimos eſſe Florentinorum animos ad hoſtium vim repellendam, infecta re, domum ſe ſe receperunt, dolentes maxime quod magnarum initia rerum tam celerem tamque infelicem exitum habuiſſent. Inter haec Laurentius fraterno amori ſatisfaciendum putavit. Juſſit enim Juliano juſta fieri in S. Laurentii aede, quae magnificentia ſui doloris magnitudinem & juvenis merita aequarent. Nam hunc multae bonaeque animi & corporis artes exornaverant; patiens laborum, inediae ac praeſertim ſitis, firmiſſimus contra pericula atque inſidias, equitandi, jaculandique gnarus, & quamvis magno & amplo corpore eſſet, ſaltu & palaeſtra valebat; ſatis providens; non abſurdo ineptoque ingenio: poterat verſus facere, jocum movere (nam urbanitatis mirifice erat ſtudioſus) ſermone uti vel gravi, vel molli; prorſus multus lepos, multaque elegantia erant in eo: magnitudine animi, humanitate, manſuetudine ac munificentia par fratri, & dum certabat cum ſtrenuo virtute, cum benefico largitione beneficiorum, ſatis oſtendebat deteſtari ſe homines factioſos, cupidos rerum novarum, alieni appetentes, mendaces & injuriarum memores. Omnes captabat occaſiones, in quibus vir-

tus eniteſcere ſua poſſet, & nunquam interitura memoria videbatur equeſtris illius cataphractorum equitum certaminis, quod an. MCCCCLXVIII. peractum eſt magnificentiſſimo apparatu, non tam propter egregia Juliani ipſius facta, quam propter Politiani carmina, quae inſignem victorem ad aſtra extulerunt. Ob haec & alia merita princeps juventutis & habebatur & erat, nec diligebatur ſolum, ſed etiam amabatur a fratre, cui ſingularem obſervantiam atque pietatem ſemper praeſtitit. Par erat igitur luctu publico memoriam celebrari extincti juvenis, qui tantum ornamentum patriae ſuaeque familiae, dum vixerat, attuliſſet. Nemo vero recordabatur optimos Juliani mores, quin ejus interfectores tanquam parricidas Reipublicae diris omnibus devoveret. Sed quoniam ſatis in illos ſaevitum, id in primis curabat Laurentius, ut multos manſuetudine, miſericordia ac beneficiis ſibi ſuiſque devinciret. Erat Averardus Salviatus Piſano Archiepiſcopo maximis propinquitatis vinculis conjunctus. Perculſus repentino tumultu conjuratorum & ſupplicio Archiepiſcopi abdiderat ſe ſe. De illo cum Laurentius percunctatus eſſet, audiiſſetque diffidentem rebus ſuis vitaeque timentem, quod tantum facinus ſui admiſiſſent, tenere ſe domi, *volo*, inquit, *hominem videre;* adductumque tanta comitate excepit, ut adſtantes prae gaudio lacrimas tenere minime potuerint. Neque hoc contentus publicis privatiſque

praemiis ſibi illum magis obſtrictum reddidit; familiariſſime quoque cum illo verſabatur, neque poſt multo, anno ſcilicet MCCCCLXXXI. menſe Septembri, Jacobo Salviato ejusdem fratris filio, juveni bene inſtituto ac bene morato filiam ſuam natu majorem, quam in oculis ob eximias animi ingeniique virtutes ferebat, in matrimonium dedit. Verens ne ex morte Antonii Maffeii fieret a ſe alienatio animi Raphaelis fratris, in quo ſane multae erant litterae, dedit ad eum epiſtolas pleniſſimas officii atque humanitatis, quae cum non minus commendarentur elegantia Latini ſermonis, Maffejus ſuſpicatus eſt illas ex officina prodiiſſe Angeli Politiani. Sed hic non affirmavit modo, ſed etiam adjuravit, *Laurentii ingenio dictatas fuiſſe, qui paucis, ſi quando a curis eſſet vacuus, in hoc genere cederet* (82). Eadem ratione multis aliis conjuratorum propinquis & amicis privatim ac publice honorem habuit, & beneficia contulit, quod diceret inimicitias in viris fortibus non ſolum extinguendas eſſe a Reipublicae dignitate, ſed etiam ad amicitiam conſuetudinemque traducendas. Ipſi, qui ſuperfuerant Pactii, quamvis univerſae familiae bona fuiſſent in publicum addicta, factumque Senatus conſultum (83) ad extinguendam non modo ſtirpem, ſed etiam, ſi fieri potuiſſet, memoriam ſceleratiſſimorum hominum, ne quis ejusdem familiae nomen uſurparet, & cum illa affinitatem contraheret, utque e locis tum ſacris

tum profanis Pactiorum inſignia tollerentur, ii tamen paullo poſt, Laurentio maxime adnitente, priſtinos honores ac dignitates recuperarunt. Non enim illum fugiebat quam ſit acerbum parentum ſcelera filiorum poenis lui; quanquam hoc praeclare legibus comparatum eſſe multi affirment, ut caritas liberorum amiciores parentes Reipublicae redderet. Non propterea tamen deletae conjuratorum effigies ſunt, quas Andreas e Caſtaneo (84) pinxerat in pariete turris aedium publicarum (*Palatium Poteſtatis* vocabant), quod in eos, qui merito ſceleratorum & impiorum numero habebantur, eamdem manſuetudinem minime exercendam eſſe exiſtimabat. Magnitudo animi par (quid enim tam regium, quam cum ceteris imperes, tibi quoque moderari?) minime eluxit in Sixto Pontifice, qui ubi audivit Laurentium periculis ereptum, tantos ſuos labores & apparatus male cecidiſſe, & irriſui omnibus fore ſuam ſuorumque ambitionem, ingenti cura ac dolore occupatus eſt. Impotenti ira abreptus juſſit auferri quidquid eſſet pecuniae in nummariis Florentinorum menſis, quarum multae Romae tum extabant, & eorum quoſdam Laurentio ex privatis negotiis obnoxios in Adriani mole includi. Sed ad eos liberandos valuit timor Riarii Cardinalis, quem retinendum Florentini putarunt, dum ſuis pecuniae & libertas redderentur (85). Et quoniam viſum quibusdam in tali tempore tantam rabiem ac vim Pontifi-

cis magis leniendam quam exagitandam, mittitur Romam Donatus Acciajolius vir maxima nobilitate, ſingulari doctrina, ſummiſque functus honoribus, qui Florentini populi nomine ea, quae acciderant, exponeret, affirmaretque haec eo gravius ipſum tuliſſe, quo minus Mediceorum merito accidiſſent: qui ſi alicujus criminis aut errati conſcii fuiſſent, non fuiſſe difficile cavere; ſed idcirco deceptos circumventoſque, quod nec quidquam a ſe commiſſum intelligerent quare timerent; neque ſine cauſſa timendum putaſſent. Pontifex nihil aliud reſpondiſſe dicitur niſi tantos ſibi ſpiritus, tantamque arrogantiam ſumpſiſſe Laurentium, ut ferendus amplius non videretur; & quod vel apud barbaras nationes ſanctum eſt Legati nomen, ſe violaturum oſtendit. Ea propter Acciajolius pedem domo efferre non audebat, valueruntque ad cohibendam Sixti audaciam preces & minae Legatorum Reipublicae Venetae & Mediolanenſium Ducis, qui Florentinorum Legati calamitatem a ſuorum fortuna haud ſejungi debere dicebant (86). Dolens Laurentius quod propter multorum delicta vel ad innocentiorum periculum tempus illud exarſerat, quo maximas tempeſtates & procellas ſibi ſubeundas eſſe intelligebat, in fidem & miſericordiam praeſertim confugit Ludovici XI. Gallorum Regis, qui ut audivit horribiles & miſeros caſus Mediceorum fratrum, ac foede in iis ſua aurea lilia violata (87), cum ſumma teſtificatione do-

loris atque benevolentiae in Laurentium litteras ad Reipublicae proceres dedit (88). Non minus prolixe de ſuorum voluntate Laurentio promiſerunt alii potentes Principes; ſed non propterea mitigabatur Sixti animus, quin immo majori percitus furore vel potius amentia eo proceſſit, ut Laurentium ipſum, quem *iniquitatis filium & perditionis alumnum* appellare non dubitavit, diris omnibus devoverit, & Vexilliferum, ceterosque, qui praecipua Reipublicae munia gerebant, ſacris omnibus interdixerit. Hos univerſos ſacrilegorum & majeſtatis reorum numero habendos, propterea que iis omnes decedere, adituſque eorum ſermonemque defugere, ne quid ex contagione ſceleris accipiant; neque iis petentibus jus reddi, neque honorem ullum communicari. Horret animus referre omnia venenata verba, quibus *in impios homines*, *excommunicatos*, *anathematizatos*, *infames*, *diffidentes*, *inteſtabiles* invectus eſt. Eorum quoque liberos, nepotes, & quotquot ab his originem duxiſſent, omni ſacerdotiorum genere, omnibusque ſacris muneribus indignos (Superos hujuſmodi maledictis minime plauſiſſe oportet, quoniam ex Laurentio & Juliano nati erant liberi, qui ad Pontificatum Maximum pervenere) & ejusdem infamiae participes declaravit. Praeterea Dioeceſes Florentinam, Faeſulanam ac Piſtorienſem ſacrificiis interdixit, omnesque ad tanti mali auctores puniendos invitavit (89). Haec dum referret Laurentius Ludovico Regi, ſi qui-

buſdam videbitur fervidum nimis & audax adhibuiſſe orationis genus (90) non vehementer repugnabo. Sed cum ejus caſum tam horribilem, tam gravem, tam inopinatum non ſolum homines, ſed tecta urbis ac templa lugerent, potuiſſetne ipſe moderationem querendi lamentandique adhibere? Paullo poſtquam illa acciderunt Ferdinandus Aragonius Neapolitanus Rex, quem nulla non arte ad ſe Pontifex pellexerat, miſit hominem Florentiam, qui pauca praeſenti Magiſtratui Octovirorum locutus de invidia factorum Laurentii, omnes ad illa vindicanda hortabatur: monere ne Rempublicam, ne libertatem ſuam desererent, commemorare vetera Regis in Florentinum populum beneficia, ac demum denuntiare, niſi Laurentium civitate expuliſſent, quae una ſpes relinquebatur ad pacem obtinendam, horribile & implacabile bellum a Rege ipſo & Pontifice expectarent, manſurumque iſtud in viſceribus Reipublicae, dum ea funditus everteretur. Magnum hoc teſtimonium Florentinorum amoris in Laurentium fuit, conveniensque ſuperioribus factis, qui paratos ſe fore oſtenderunt omnia perpeti, dum ne virum proderent, in cujus ſalute dignitateque ſalus & dignitas Reipublicae ſita eſſe videbatur. Et quoniam non uno armorum genere petebantur Florentini a Sixto Pontifice, ſtuduerunt retundere mucrones eorum telorum, quae ad perterrendos religioſos animos adhiberi ſolent. Conſuluerunt itaque homines, qui Pontificii

juris

juris ſcientia excellere putabantur, Bartholomaeum Soccinium, Bulgarium Bulgarinium, Lancellottum Decium, Andream Panhormitam, Petrum Philippum Cornium, Franciſcum Accoltum, cui Aretini cognomen fuiſſe diximus, alioſque quid ſibi faciendum eſſe cenſerent? Hi quidem judicarunt provocandum eſſe ad futurum concilium; & Accoltus, edita commentatione quadam (91), multis argumentis probavit, tantae vis non eſſe latam a Pontifice ſententiam, ut ab omni ſacrificio omnibuſque ſacris caeremoniis eſſet abſtinendum. Propter libertatem, qua exagitavit factum Pontificis, non ſolum fortunarum, ſed etiam vitae periculum ipſe adiit, a quo caritate Senenſium liberatus fuit (92). Aliorum diſcrimen minime continuit Gentilem Aretinorum Pontificem, quin inculcaret non modo animis, ſed etiam oculis eorum omnium, qui ſacris in Etruria praeerant, imagines praeteritorum ſcelerum. *Quis eſt tam infirmo ingenio & tanta abjectione animi, qui recuſet Laurentii cauſſam defendere? Quo infelix ſe conferet; quo ſe vertet? In templum ne? at fratris ſanguine redundat; an domum? matremne ut miſeram, abjectam conjugem, lamentanteſque liberos videat? an ad communem patrem confugiet? cujus in odium idcirco incurrit, quod vitam ſuam ab impiiſſimis ſicariis defenderit?* Haec atque his ſimilia clamabat, ut collegas ad habendum concilium invitaret, cujus decretis liberarentur Etruſci

Digitized by Google

omni dirarum metu, omneſque, ſi fieri potuiſſet, ad Sixti facta, mores, faciem denique ac nomen a Chriſtiana Republica deteſtandum incitarentur. Convocatum re vera hoc concilium fuiſſe in majori Florentinorum templo plerique affirmarunt, ſed ego multis conjecturis ducor ut credam minime conveniſſe Patres, & quae circumferuntur hujus ſynodi acta ſeu decreta, turbulenta illa quidem & Romano Pontifici injurioſa, Gentili uni, cujus profecto manu ſcripta ſunt (93), tribuenda, tantum licentiae vel potius audaciae patriae & Laurentii caritas homini ceteroquin probo dabat. Inflammati quidem fuerunt nonnullorum Epiſcoporum animi ad declarandum nullam Sixto cauſſam fuiſſe interdicendi civitati ſacris, quo genere animadverſionis nunquam Pontifices uti conſuevere, praeſertim adverſus Reges & liberas civitates, niſi graviſſimorum ſcelerum & maxime inſignium expiandorum cauſſa. In tanta igitur iniquitate decreti quin ad gentium omnium futurum conventum provocare licebat? His plura populus addebat ad odium conflandum Pontifici, quaſi ipſe nefarias cum multis pactiones ſcelerum ſocietateſque ad perniciem Florentinae Reipublicae feciſſet: rogatur propterea Laurentius, ut pro gratia, qua apud Caeſarem pollebat, de convocando Baſileae concilio oecumenico ageret, cujus nomen non modo grave, ſed & terribile auribus atque animis Pontificum ſemper extitiſſet (94). Quanta ira

quantaque perturbatione haec incitaverint Sixtum, qui quidem palam affirmabat ſe ulturum facinora ſingula, quemadmodum a quibusque fuiſſet provocatus, nihil attinet dicere. His rebus coacti Florentini cogitare de ſuorum ſalute, quoniam nulla aequitate res ad otium deduci poſſe videbatur, quoquoverſus miſerunt Legatos tum auxilia implorandi, tum exponendi cauſſa illa, quae acciderunt, ne quae Reipublicae gratia egerant, in illius perniciem verterentur. Quo vero probarent omnibus nihil non geſtum, ne cogitatum quidem in conjuratione Pactiana ſine conſilio adprobationeque Sixti Pontificis, commiſſum Bartholomaeo Scalae fuit, ut in contexenda *Excuſatione* quadam nomine Florentinae Reipublicae, cui erat Scriba, referret omnia illa, quae Monteſiccus, conteſtatus Deum, antequam morti traderetur, quaeſitoribus rerum capitalium reſponderat (95). In tantis anguſtiis vero ipſa Reſpublica compellabat praeſertim Fridericum Caeſarem (96), & Ludovicum Francorum Regem, aliosque Catholicos Principes; & cum conjunctam eſſe diceret ſalutem ſuam cum omnis Chriſtiani populi incolumitate (nam periculoſiſſimum imminebat bellum a Turcis, cujus propulsandi munus praeſertim eſſe videbatur Romani Pontificis) neminem tam inhumanum fore ſperabat, qui hujus inceptis conatibusque ambitioſis minime reſiſteret. Nonnulli ex Principibus poſtulatis Florentinorum reſponderunt, iſtud privatum

potius quam publicum bellum videri, quod Laurentium, minime vero Florentinam Rempublicam Pontifex perſequi diceretur, neque ſuorum dignitatis eſſe privati hominis injurias armis ulciſci. Verens Laurentius ne id occaſionem praeberet inimicis ſuis immutandi alienandique a ſe populi animos (quid enim populari aura levius atque inconſtantius?) quaſi ipſe auctor & origo eſſet malorum, quae patriae allata fuerant impendebantque, ut malevolentiae occurreret, ex omnibus ordinibus ccc. delectos, qui auctoritate, prudentia atque fide ceteris anteire putabantur, curavit in Curiam per Magiſtratum advocandos, qui ubi frequentes convenere, ad illos in hunc modum verba feciſſe dicitur. *Neque novum neque inauditum mibi eſſe debet, ſi quod unum familiae noſtrae ſemper objectum eſt a factioſis & invidioſis civibus, id nunc ego quoque audiam; Mediceae genti jam inde ab initio nibil antiquius dignitate, poteſtateque ſua fuiſſe, ſemperque dum ſuis commodis ſerviret, publica neglexiſſe. Hoccine eſt ad principatum aſpirare, ſponte delatos bonores ſic accipere, ut ii non donati, verum commodati eſſe videantur, ſicque iis frui, ut in praeſtantia dignitatis atque fortunae communis juris aequabilitatem minime tranſeas? Eſtne aliquis, qui ſe bonorari atque aeſtimari faſtidiat, praeſertim ſi hoc ſit virtutis & induſtriae, minime vero ambitus atque largitionis praemium? Jam vero dignitas, ordo, locus,*

beneficia veſtra, quamvis mihi omni tempore cariſſima fuerint, nunc ſordere incipiunt, quod vocem ſuam praebente Pontifice communibus hoſtibus ad meam perniciem, illa non modo occaſio, ſed etiam cauſſa vos opprimendi fuiſſe dicuntur. Quoniam igitur foedera, pacis conditiones, reconciliationesque gratiarum, niſi meo ſanguine ſanciri non poſſe videntur, nolite amplius decertare pro ſalute mea, ne propter me civium vulneribus Reſpublica cruentetur: Si meam aliquando laudaſtis in conſiliis capiendis diligentiam, in periculis propulſandis animum, in hominum voluntatibus pro Republica laedendis libertatem atque conſtantiam, in rebus adminiſtrandis fidem, & in perferendo labore induſtriam, ſinite, quaeſo, me has laudes glorioſa morte aut exilio cumulare, per quod unum ſempiternae hominum memoriae me commendatum iri confido. Quanti ego mihi vitam eſſe faciendam putem, quae ſit inviſa hoſtibus, patriae perniciosa, mihi, ſi apud vos manere cogar, moleſta in recordatione malorum, quae cives vita ipſa cariores propter me aut perpeti aut timere debuerunt? Quin ergo calamitatem a Republica meis privatis incommodis libentiſſime redimam? Facile eſt adverſos caſus ferre, cum hi non flagitii & ſceleris poenae, ſed pietatis, conſtantiae & fortitudinis teſtimonia eſſe putantur. Illud etiam in meis aerumnis opportunum accidet, quod tum clare apparebit utrum ad meam tantummodo perniciem, vel ad omnis Reipublicae ever-

ſionem Pontificis conatus ſpectent. Si impietatis duces, poſtquam inexpiabili ſcelere neque Dei immortalis templo, in quo vel ſceleſtioribus tutum eſſe aſylum ſolet, neque propinquiorum ſanguini parcentes divina & humana omnia perturbarunt, debacchari adhuc cupiunt, me unum habeant, in quo crudelitatem exerceant ſuam; voſque paullulum a metu caedis reſpirare ſinant. Sed vereor (quod Deus omen avertat) ne modus ullus ſit futurus illorum indomitis effrenatiſque cupiditatibus: Quapropter hac quoque conſolatione lenire potero calamitatem meam, quod aut abſens, aut e vivis ſublatus non videbo flagrantem bello Etruriam, non ardentem invidia Senatum, non luctum bonorum, non lamentationes puerorum atque mulierum, non foedatas ſanguine & cadaveribus vias, non illatam parietibus ac tectis veſtris ruinam, non denique in omni genere deformatam eam civitatem, in qua ſingulari & immortali veſtro beneficio mihi majoribusque meis florentiſſima multum omnibus gloria praeſtare licuit. Nam quid ſperari poterit ab hominibus nocentiſſimis, iiſdemque ſuperbiſſimis, quibus fides, decus, pietas, poſtremo honeſta atque inhoneſta omnia quaeſtui ſunt? Sed ne me vos artificio quodam haec exaggerare putetis, brevi concludam, me in poteſtate veſtra eſſe, ac debere vos ita conſulere publicae ſaluti tranquillitatique, ut nullam mei rationem habeatis. Utinam bellum, quod ſanguine fratris cariſſimi foede inceptum eſt, meo ſic ex-

ſtinguatur, ut non minus mortem quam vitam meam vobis poſteriſque veſtris utilem ac ſalutarem fuiſſe judicetis. Dicenti haec lacrimae ſimul ſpiritum & vocem intercluſerunt, auditoresque, qui non minore perculſi erant doloris ſenſu, diu moeſtum ſilentium tenuit. Ad ea tandem Jacobus de Alexandris, qui dignitate excellebat: *omnium unam mentem eſſe, ne ipſe communem patriam deſereret; ne paucorum amentiam civitati aſſignaret: ſuo quemque periculo furere: omnes non libertatem modo, ſed & cetera, quae hominibus cara ac ſancta ſunt, illi ſe in primis referre accepta, & in corpora ſua citius faevituros, quam paſſuros, ut illius vita inimicorum crudelitati dederetur; quare ipſum bono animo eſſe oportere, atque omnia ab amantiſſimis civibus ſibi polliceri*. Decretum etiam à Magiſtratu fuit, ut certum numerum militum is apud ſe haberet, quo tutus eſſet ab adverſariorum inſidiis. Cum vero conſilium cepiſſet mittendi Piſtorium conjugem & filios una cum Angelo Politiano (96) tum propter peſtis periculum; tum ut liberius & ſecurius rebus ſuis proſpicere poſſet, dixiſſe fertur: *animas dulciſſimas, quas pro defenſione veſtra libens ad exitium offerrem, nunc procul a furentibus ſubmoveo, ut quidquid hic ſceleris imminet, meo tantum ſanguine pietur*. Quae aliaque hujuſmodi dicta non eſt credibile quantum inflammarent populi animum ad patriae Laurentiique defenſionem ſuſcipiendam coercendamque illorum lin-

guam, qui multa vel invidioſe, vel iracunde, vel inſolenter, vel in omni genere ſtultitiae inſulſe effutire conſueverant. Raptim itaque apparantur ea, quae bello uſui eſſent, in quibus ceterisque rebus publicis adminiſtrandis ſemper praecipuae partes erant Laurentii. Evenit enim, quod fere in omni conjuratione accidere ſolet, ut quantum infringitur potentia adverſariorum, multis horum e medio ſublatis eorumque conſiliis in propatulo poſitis, tantum vis ac roboris addatur illorum auctoritati amplitudinique, contra quos conjuravere. At Florentini non tam adventantem jamque proximum Neapolitanorum exercitum timebant, quam virtutem ducis. Is enim erat Alfonſus Ferdinandi Regis filius Calabriae Dux, manu, ut ſupra commemoravimus, promptus atque ingenio ferox, omniumque fortaſſe, qui tum in Italia exercitus ductarent, longe clariſſimus. Pontifex vero ſuarum copiarum imperium dederat Friderico Urbini Duci, qui more imperatorum illius aetatis, poſtquam Florentinorum ſtipendia meruerat, illis bellum inferebat. Multos habebant Florentini ſtrenuos duces, quos iis opponerent, Nicolaum & Curradum Urſinios, Joannem Franciſcum & Gaſparem de Aragonia e S. Severino, Rodulphum Gonzagam Friderici Mantuae Marchionis fratrem, Jacobum Trivultium, Albertum Vicecomitem aliosque; ſed confidebant maxime Herculi Ateſtino Ferrariae Duci, quem cum magnis ſtipendiis

pendiis ad ſuas partes traxiſſent, ſummae totius belli praepoſuerant. Mens erat Florentinis ſuos non modo fines tueri, ſed etiam alienos occupare, & Forum Cornelium maxime cogitabant, ac oppida Senenſium, qui cum Pontificiis & Neapolitanis junxerant amicitiam. Sed hoſtes, cum ingreſſi jam eſſent in agrum Clantium, vicos aedificiaque incenderent, vineas ſuccidérent, & oppidum, cui Caſtellinae nomen, aliaque minora cepiſſent, coegerunt eos ſibi ſuiſque conſulere. Repentinae incurſionis atque impetus armorum in urbem timore ſublato, quod hoſtium copiae Aretium contenderant, ſpatium ii habuerunt parandi illa, quae ad reſiſtendum eſſent neceſſaria. Jam hoſtes ad Sanſevinum montem caſtra poſuerant, cum ſuas copias eduxerunt Florentini, manus conſerere & belli fortunam tentare parati. Quotidie levioribus praeliis decertabatur; plures etiam, qui lignatum pabulatumque per agros dilapſi erant, in poteſtatem noſtrorum venerunt; & quod jactura militum erat hoſtibus moleſta, deque oppugnando Aretio illi deſperabant, quodque a re frumentaria laborabant, & loci iniquitatem timebant, inducias petierunt. Conceduntur praeter omnium expectationem ab Hercule Ateſtino Duce, qua in re ſecum actum infideliter fuiſſe Florentini intellexerunt. Ipſe interea Ferrariam rediit, ejusque diſceſſu (erat enim manu fortis & uſu peritus) alacritas illa, quae ſtudio pugnae noſtros incendebat, abiiſſe

videbatur. Quare factum eſt, ut iisdem prope inſpectantibus, per induciarum tempus hoſtes comparaverint ea, quae ad Sanſevini montis expugnationem eſſent opportuna, eodemque potiti ſint, ubi induciarum finis advenit. Non tamen longius proceſſerunt, quod exercitum in Senenſes in hiberna ducendum putaverint. Quae dum in Etruria geruntur, maxime verebatur Laurentius ne qua mutatio rerum fieret in Mediolanenſi ditione, ex qua, cum ſe deſertum a multis & inani ſpe a Venetis paſci doleret, magna expectabat ſubſidia. Erat ſumma rerum, biennio ante crudeliter interfecto Galeatio Maria Sfortia, penes Bonam ejus uxorem & Joannis Galeatii matrem, cuncta ad Franciſci Simonettae Calabri hominis, qui vel ab adoleſcentia in Sfortianorum domo educatus fuerat, arbitrium agentem. Id cum indigne tuliſſent, qui puero erant patrui, ac praeſertim Sfortia Barii Dux, Ludovicus atque Aſcanius, illorum quilibet pueri tutelam rerumque publicarum adminiſtrationem cupide appetiverat. Terrebat Bonam natura hominum avida imperii, & praeceps ad explendam animi libidinem, quare excubabat animo, nec partem ullam quietis capere ſe poſſe intelligebat, niſi eosdem in longinquas terras amandaſſet. Facile fuit cauſſam criminis aut facti ſuſpicionem reperire ad illos exilii poena mulctandos, qua in re ipſam praeſertim uſam fuiſſe tradunt conſilio Thomae Soderinii, qui tum Mediolani Florenti-

nae Reipublicae Legatus degebat, quique Laurentio erat fideliſſimus atque amiciſſimus. Ludovicus Piſis conſedit; & quamvis amice atque honorifice a Laurentio habitus fuerit, nihil tamen ab illo obtinuit, quod ad ejus ambitionem ſovendam pertineret. Intenti Sfortiani animis, ſi quo modo poſſent ulciſci eos, a quibus ſe laeſos eſſe arbitrabantur, nihil tam exoptabant, quam ut in Italia eſſent motus converſioneſque rerum publicarum; quare audaciores facti ob procellas, quae Florentinis impendebant, praeſcriptos exilii fines egrediuntur, atque de parandis copiis laborant. His Ferdinando Regi nunciatis, ſtimulat ipſos ut ad Genuenſes tranſeant, quos uſus opera Proſperi Adornii induxerat ad deficiendum ab imperio Mediolanenſium Ducis. Haec eo ſpectabant, ut Bona ſuis potius quam Florentinorum rationibus prospicere cogeretur. Queritur ipſa cum Rege de facti indignitate, vetera Franciſci Sfortiae in Alfonſum Aragonium beneficia commemorat, nec foederis religionem ſe violaturam, nec Florentinorum defenſionem ſe deſerturam oſtendit (98). Coacta tamen ferre arma contra rebelles Genuenſes non omnia praeſtitit Laurentio, quae ipſa ſpoponderat, reque male a ſuis geſta, ut ſaltem amicos haberet, quos ſubditos habere deſperabat, ita tranſegit cum Baptiſta Fregoſio, qui erat Adornio infenſiſſimus, ut ipſe non modo auctoritatem ſed etiam imperium obtineret in ſuos; ne

leviros exules in civitate, in quam ſe receperant, commorari pateretur, ſuiſque opibus ac nervis ad communem defenſionem uteretur. Non propterea Sfortiani ſe ſe deſeruere, ſed collecta manu eorum, qui Adornii partibus favebant, aliorumque, qui aut aere alieno, aut magnitudine tributorum, aut injuria potentiorum premebantur, cum primum conſediſſent in Apuana Provincia, inſtigantibus maxime Pontifice & Neapolitanorum Rege, improviſo agrum Piſanum adoriuntur, ut nullo obnitente, & inſpectantibus etiam militibus, qui erant in ſtatione ad portas, hoſtiliter ad urbem uſque pervenerint. Etſi Florentinorum exercitus aberat ab his regionibus, & a majori re diſtinebatur, Laurentius tamen aliqua ratione ſuccurrendum Piſanis putavit. Itaque non ita magna manu celeriter coacta, hanc ad eorum ſalutem convertit, exiſtimans, id quod accidit, Sfortianos jam praeda onuſtos pugnam recuſaturos, & ad Apuanos redituros. Poſt haec Mauro (ita Ludovicus ob colorem vafrumque ingenium appellabatur) vires adolevere, & proſpera uſus fortuna victor anno inſequenti, qui erat MCCCCLXXIX. Mediolanum ingreſſus eſt. Ex hoc tempore rerum omnium Mediolanenſium tranſactor & adminiſtrator fuit, quamvis ſe pueri tutorem, & alienae dominationis vicarium diceret. Exoratus a Laurentio ne ortam ab avis Sfortianos inter & Mediceos amicitiam maximiſque ſemper cultam officiis

deſereret, reſpondit hanc ad extremum uſque vitae diem propter privatum utriuſque bonum & publicam Italiae utilitatem ſe fideliter ſervaturum (99). Interim Legati a Caeſare, Ludovico Galliarum & Mathia Corvino Pannoniae Regibus Florentiam venere. Hi ſe Reipublicae non defuturos pollicentur; Laurentii virtutem conſtantiamque collaudant, ab eoque ſumme petunt, ut juſtam iracundiam ſuam Reipublicae dimittat; cupere enim ſe, cujus cauſſa miſſi fuerant, ut controverſiae tollerentur, atque omnis Italia metu liberaretur. Iis quidem reſpondit Laurentius ad omnia ſe deſcendere paratum, atque omnia pati Reipublicae gratia; hanc non maleficii cauſſa arma ſumpſiſſe, ſed uti ſe a contumeliis crudeliſſimorum hoſtium defenderet; horum inſignes atrociſſimaſque injurias in ſe ipſum commemorat, & quamvis ea eſſet natura Romani Pontificis, ut magnam pacis deſperationem afferret, non recuſaturos tamen Florentinos docet, quin ad eum Legati iterum mitterentur non ad concordiam per colloquia conſtituendam, ſed ad patefaciendum omnibus, unde tot malorum cauſſa & origo eſſet. Legati decernuntur ampliſſimi civitatis, qui Romam cum adveniſſent, ſtatim intellexerunt odium Pontificis nec magnorum Regum favore & ſtudio deponi, nec prece mitigari, nec vetuſtate poſſe ſedari. Videns vero Laurentius potentiſſimi Gallorum Regis amicitiam, cujus illuſtre dede-

Digitized by Google

rat teſtimonium miſſo ad ſe ſe, ubi de Pactiana conjuratione audivit, homine, quo neminem cariorem habebat, Philippo Comminefio (100) cujuſque conſuetudine Princeps difficillima licet natura & nobiliſſimo cuique infeſtus, ita delectabatur, ut ſine eo vitam inſuavem duceret, perſuaſit Decemviris, ut illius confirmandae & gratum animum teſtificandi gratia Lutetiam Pariſiorum Legatum mitterent Donatum Acciajolium. Hic vir, de quo ſupra mentionem ſemel iterumque fecimus, mirum in modum ſervierat Reipublicae & famae. Erat doctus Graecis Latiniſque litteris, valebat eloquentia, & admirabili quodam ad philoſophandum ſtudio concitatus videbatur: ad haec excellebat abſtinentia, juſtitia, fide, prudentia, cura ſtudioque Reipublicae, ut nemo ei ſuperior in civitate poneretur. Vix dum ipſe Mediolanum pervenit, ubi multa ei agenda erant non ſolum cum illis, qui ad Ducatus gubernacula ſedebant, ſed & cum nonnullorum Italorum Principum Legatis, qui eo convenerant, cum correptus febri diem obiit ſupremum. Diſſuadentibus propinquis, ne tantum iter arriperet, reſpondit, *rebus adeo afflictis, non quaerendum ſibi ubi tuto & commode viveret, ſed unde praeſidio poſſet eſſe civibus ſuis*. Hujus de morte ut nuntium allatum eſt, magna doloris ſigna dedere Florentini; factum etiam decretum, ut publice efferretur ejus cadaver, antequam majorum ſepulcro conderetur; ut Lauren-

Digitized by Google

tius treſque alii primarii viri liberorum illius tutelam ſuſciperent; ne tributa ab his exigerentur, utque filiae, dotibus publice datis, collocarentur (101). In hujus locum ſufficitur Guido Antonius Veſpuccius vir utriuſque juris peritiſſimus, omnique laude praeſtans, qui in obeunda legatione ſe ſe tanta prudentia geſſit, ut Acciajolii deſiderium aliqua ex parte leniverit. Florentini Lucam etiam legarunt Petrum Caponium Ghini F. quod verebantur ne illa Reſpublica maneret in fide. Nihil valuit apud Lucenſem populum, animos jam commotos in Laurentium incendente vehementius Cola Montano (102) pudor, officium atque timor, quominus in Legatum debaccharetur, parumque abfuit, quin vir ſuae civitatis honeſtiſſimus interficeretur, ex quo factum ut odium diuturnum, quod in vicinam Rempublicam jam inveteratum Florentini habebant, ſaturare cuperent. Sed cum urgerentur a potentioribus hoſtibus, omnes ſuas curas cogitationeſque ad hos repellendos conferre ſunt coacti. Ea propter veteres amicos confirmant, novos parant, inter quos eminebant Rupertus Malateſta atque Conſtantius Sfortia, & magnis promiſſis revocant Ferrariae Ducem. Flexere etiam animos Venetorum, qui ſublata excuſatione belli, quod cum Turcis gerebant (nam pactae fuerant induciae multorum menſium) auxilia foederatis ſuis haud negare potuere. Cum delectis militibus miſerunt quoque Duces bellica virtute clariſſimos Caro-

lum Montonium & Diephoebum ab Anguillaria, quos ſummis precibus ab iis Florentini petierant. Ad hos etiam rediit Rodulphus Gonzaga, cujus copiae conjunctae cum Ferrarienſibus & iis, quas Florentini contraxerant, ſatis validum conflabant exercitum, qui Neapolitanis non ſolum reſiſtere, ſed etiam obviam ire poſſet. Hujus caſtra, hieme confecta, intra Collem oppidum & Fanum Geminiani poſita fuerunt: ſed cum Florentini ditioni quoque Pontificis periculum moliri vellent, partem ejusdem exercitus ad occupandam Peruſiam miſerunt ſub imperio Montonii, cujus magnum nomen & auctoritas iis in regionibus habebatur. Subitus noſtrorum adventus magnum ſane intulit timorem Pontificiis, ut nemo e caſtris pedem efferre auderet. Verum cum paullo poſt mortem obiiſſet Montonius, tantum fiduciae atque ſpiritus caſus hujuſmodi iisdem attulit, ut non ſolum de ratione praelii committendi cogitarent, ſed viciſſe jam ſibi viderentur. Itaque recta ad Thraſymenum lacum contendunt, ubi imparatos ſe offenſuros noſtros, & locum Annibalis de Romanis victoria clarum nova clade inſigniorem ſe facturos ſperabant. Hoſtium conſilio cognito, Jacobus Guicciardinius exercitus Legatus, & Rupertus Malateſta, qui magnam auctoritatem habebat apud milites propter eximiam virtutem & rei militaris ſcientiam, monet omnes ne repentino hoſtium incurſu exterreantur, ne ab ſignis diſcedant,

neque

neque ſine gravi cauſſa eum locum, quem ceperant, dimittant. Ubi viderunt Pontificii nec vires nec animum noſtris deeſſe, nec ſolum ad praelium ſuſtinendum, ſed etiam ad ciendum paratiſſimos, multosque ſuorum, qui primi impetum fecerant, periiſſe, victi timore neque ordines neque ſigna obſervare coeperunt, mox terga vertere, praecipiti demum ſe ſe fugae committere. Tum noſtri inſequentes ſine pugna & ſine vulnere diſperſos interfecerunt, & urbem obſidione clauſere. Hujus rei nuntium ſumma laetitia Florentinos, horumque ſocios & amicos complevit (103), quare Laurentius hortabatur Duces, qui ad Pogibontium cum exercitu conſtiterant, ut pleni ſpei bonae atque animi adverſus Neapolitanos caſtra moverent. Ipſe interea ſapientiſſimis conſiliis Reipublicae conſulebat, & templa adibat, & ante aras projectus victoriam a Deo immortali expoſcebat. Eo tum ſtatu res erat, ut noſtri numero ſuperiores eſſent, & cum ſaepe levioribus praeliis dimicaſſent, & in Senenſium fines incurriſſent, ſemper onuſti praeda & incolumes ſe ſe in caſtra receperant. In illa dividenda cum eſſent occupati, majoris negotii curam abjicere videbantur, tantaque hac de cauſſa Mantuanos inter & Ferrarienſes non modo milites, ſed etiam duces orta eſt contentio, ut ad arma ſe ſe invicem vocarent. De reconciliandis animis deſperantes Florentini, & mala timentes ſi ſuas quisque ſeparatim copias adminiſtrare

vellet, nec penes unum ſumma imperii eſſet, optimum factu putarunt ab ſe dimittere Ferrarienſium Ducem cum ſuis militibus, quorum diſceſſu haud mediocriter noſtri exercitus vires ſunt debilitatae. Hac re cognita, concionatur apud milites Calabrorum Dux, iis ſibique maxime gratulans, quod peritiſſimus atque exercitatiſſimus Imperator & bellicoſiſſimae copiae abiiſſent, eaque propter rei conficiendae occaſionem minime amittendam. Itaque, nulla interpoſita mora, copias Senis, ubi conſidebant, educit, neque conquieſcere jubet, antequam in conſpectum noſtrorum veniſſent. Simul atque adventare illas cognoverunt, tantus ſubito timor mentes animoſque occupavit, quamvis quae eſſet cauſſa timendi ignoraretur, ut nihil valuerint Ducum voces, qui paucitatem hoſtium, opportunitatem loci, patriae periculum, foederis religionem proponebant ad illos a praecipiti & foeda fuga continendos. In tanta militum ignavia victoribus nihil impeditum, victis nihil tutum eſſe videbatur; quare tanta triſtitia ac pavor Florentinos invaſit, perinde ac ſi urbs ab hoſtibus capta eodem veſtigio eſſet. Profecto niſi praedae amor, viſque avaritiae morata fuiſſet Neapolitanos, quominus recta Florentiam contenderent, magno in periculo urbs illa fuiſſet. Haec ut duriori affligaretur fortuna efficiebat etiam peſtilentia, reique frumentariae inopia, quam augebat magnus agricolarum numerus, qui cum uxoribus & liberis illuc con-

fugerant, cum viderent inflammationem, everſionem vaſtitatemque ſuis tectis atque agris crudeliter ab hoſtibus importari. Interim evocantur copiae, quae in oppugnanda Peruſia ſatis feliciter elaborabant, quorum adventu metus ac moeror publicus paullulum levatus eſt. Hae ad Caſſiani Fanum, quod oppidum Florentia abeſt millia paſſuum octo, caſtra poſuerunt, cumque ſupplementis magnoque numero eorum, quos foedus timor antea diſperſerat, in dies magis augerentur, & urbem defendere & laceſſere etiam hoſtem, quamvis victoria ſuperbum facile poſſe videbantur. Regii interea, capto jam Pogibontio, Vico, Certaldo, aliisque oppidis aut direptis, aut in ſuam ditionem redactis, Collem oppugnare aggrediuntur, quo ſe brevi potituros ſperabant, animis magis quam viribus reſiſtentibus oppidanis. Hos minime deſerendos, utpote qui fidiſſimi ſuis rebus ſemper fuerant, Florentini putarunt, quare caſtra ad Fanum Geminiani moverunt. Tum vero cognitum magno cum Reipublicae dedecore atque incommodo, quam ignavum militem aleret, aut quam parum fidendum eſſet externis mercenariisque copiis. Nam his inſpectantibus, cum defenſor nemo auxiliatorque ad oppidum accederet, neque ulla amplius eſſet rerum expectatio meliorum, Collenſes ſe ſe hoſtibus dedere coacti fuerunt. Haec per autumnum an. MCCCCLXXIX. geſta. Initio autem hiemis, obſtupeſcentibus omnibus, quod vi-

ctoriis uti neſcirent, Neapolitani trium menſium inducias Florentinis obtulerunt, quae libentiſſimis animis factae fuerunt. Ut ſunt autem Florentini ad judicandi maledicendique licentiam liberi, tota urbe circulari ac dolere, exinanitum publicum aerarium, graviſſimis tributis oppreſſam civitatem, ſolutionibus impeditis, fidem & mercaturam concidiſſe, civium ſanguinem ſaeviſſime effuſum, ſe proditos a foederatis, ſeque idcirco duriore fortuna premi, quod ab hominibus conſilii expertibus & dominationis cupidis res publicae adminiſtrarentur. Quonam haec niſi ad perniciem Laurentii? Nonnulli etiam eo audaciae proceſsere, ut ei objecerint, ſe jam nimis diuturno bello feſſos eſſe, & mirari quod de illo potius renovando, quam de pace concilianda cogitaretur. Hae res maxime ſollicitum Laurentium habebant, cumque ſpes nulla oſtenderetur in poſterum fore melius a Venetis, & languidiores facti eſſe viderentur, qui res Mediolanenſium regebant propter civiles diſcordias & aerarii anguſtias ad bellum perſequendum (104), novam tentare fortunam novoſque experiri amicos conſtituit. Non deſperabat Laurentius aut Sixto aut Ferdinando Regi poſſe Florentinos reconciliari, qua de re communicatis conſiliis cum prudentioribus, accidit ut ancipiti diſputatione diſtraherentur in deliberando animi. Non dubitabat is quidem utiliorem, tutiorem diuturnioremque amicitiam fore cum Ferdinando, ſed ne odio in Pon-

tificem ſe in ſententia dicenda moveri quis ſuſpicaretur, tot argumentis tum ex moribus utriuſque, tum ex natura imperiorum & ſorte imperantium, tum ex malis artibus Hieronymi Comitis, qui nihil non moliebatur ad inflammandum odium Pontificis in Laurentium (105), illam confirmavit, ut judicatum fuerit aut inſtabili fortunae, aut certae calamitati illos obviam ire, qui cum Romanis Pontificibus amicitiam conjungerent, perfugiumque in eorum auxiliis quaererent. Itaque unum Ferdinandum omnium animi ſpectare coeperunt; neque minus reſpiciebant Laurentium, quem unum fore idoneum exiſtimabant ad ſejungendum illum a Pontificis ſocietate, quocum non foederis ſolum religione, ſed voluntate etiam & ſtudio conjunctus habebatur. Sed quam periculoſum erat ei ſe tradere, a quo hoſtiliter petebatur, & ab eo ſalutem petere, a quo ruina impendebat! Verum quod illum ad omnia ſummum atque excellens ingenium armabat, & quod ei erat perſuaſum hoc ſibi unum pene deſperatiſſimum ſupereſſe perfugium, quo labenti atque inclinatae Reipublicae ſuccurreret, non dubitavit in periculum capitis atque in vitae diſcrimen pro illa ſe inferre. Rebus igitur publicis fidei ac prudentiae Thomae Soderinii, qui ſummum tum gerebat Magiſtratum, & qui in tam maledica civitate nullum unquam locum ſermoni obtrectatorum dederat, commendatis, Kalend. Decembribus an. MCCCCLXXIX. urbe di-

ſcedit, cum omnes fere ejus diſceſſus cauſſam ignorarent. Dum Piſis commoraretur per ſpeciem conſulendi hujus civitatis rebus, litteras a Decemviris accepit, quibus Legatus creabatur ad pacem deprecandam, ad inducias paciſcendas, ad bellum denuntiandum, ad omne id demum peragendum, quod Reipublicae intereſſe exiſtimaſſet (106). Quanquam ſaepe a Senatu munificentiſſimis decretis Laurentius honeſtatus fuerit, nullum tamen honorificentius fuit illo, quo non alicujus negotii, ſed univerſae Reipublicae cura atque ſalus ei commiſſa eſſe videbatur. Conſcenſa triremi, Neapolim feliciter navigavit, isque cum ſecundiſſime curſum teneret temporibus hibernis, *videtisne*, inquit ſuis, qui de Regis fide deque ſe ipſis deſperare videbantur, *ut caelum coeptis arridet! adeſte igitur animis & timorem omittite*. Advenienti Rex obviam miſit triremes ſuas, qui ſingularis honos non modo Neapolitanorum occupavit animos, ſed ſuſpicionem etiam movit Venetis aliisque, quaſi antea ad communem defenſionem inimicorumque ruinam Rex ipſe & Laurentius conſenſiſſent. Ferunt, cum e navi egrederetur, cupide & curioſe ad eum accurriſſe omnem multitudinem, & ex omnibus quoque Regni partibus multos Neapolim adveniſſe noſcendi cauſſa Heroem, qui aequabilitatem privati hominis praeſtantia virtutis, dignitatis ac fortunae ſuae non modo transgreſſus fuerat, ſed etiam par evaſerat ſummis Regibus. Plenae erant viae,

per quas tranſibat, ſpectantium, non ſecus ac ſi ad agendum triumphum, minime vero ad pacem deprecandam veniſſet. Rex ei juſſit occurrere Fridericum filium & Ferdinandum nepotem, aliosque plures e primariis familiis, qui Regi ipſi renuntiarunt, ſe vidiſſe hominem, qui ſecum faciem auctoritatemque Reipublicae afferre videbatur. Id enim cordi ei maxime erat, ut timorem occultaret, & afflictam ac pene proſtratam patriae ſuae fortunam diſſimularet. Cum vero ad colloquium congreſſumque Regis perveniſſet, quoniam uſus rerum multarum docuerat eum, ut quibus rebus animi hominum moverentur, quod eſt eloquentiae maximum, teneret, in hanc ſententiam diſſeruiſſe dicitur. *Nihil unquam vidi laetius iſta urbe veſtra, in qua quo magis potentes, divites, fortunati atque nobiles eſtis, eo magis vos aequo animo aequa noſcere oportet. Minime nunc commemorabo quae antea nos circumvallaverint mala, unde emergere vix poſſe videbamur. Nihil eſt enim, quod malim, quam oblivifci injurias eorum, quos neque fides, neque jusjurandum, neque ulla miſericordia unquam revocavit ab indigniſſimis patrandis ſceleribus. Nam juvat eosdem in omni fortuna gerere animos, ſic ut nec ſecundae res eos extollant, nec adverſae minuant. Neque immorabor in tuis extollendis laudibus, quod ſciam quidquam ita magnifice nunquam dici poſſe, quin id virtus atque fortuna ſuperet tua. Verumenimvero hanc rem me praecipuam habere arbi-*

tror, ut te commoveam contra communes hoſtes, qui de meo, deque Reipublicae Florentinae atque adeo de univerſae Italiae exitio cogitant. Offenſionem eſſe periculoſam video, ſed potius periclitari volui, ſi poſſem mea praeſentia te ad communes utilitates allicere atque excitare, quam nimis cautus videri. Satis jam gloriae vixi, & vel ipſa inimicorum meorum perfidia gloriandum mihi videtur, quod omnem rem publicam in meo capite diſcrimen habituram eſſe judicarunt, quodque niſi me e medio ſuſtuliſſent, obtinere ſe non poſſe putarunt licentiam cupiditatum ſuarum. Quod quidem quam Etruriae non modo, ſed & Neapolitano Regno & univerſae Italiae periculoſum ſit, nemo eſt qui non intelligat. Una eſt augendae potentiae hominibus via propoſita, quae ſemper latiſſime patuit, ut ex aliorum ruina & caſu ſibi facto gradu ad altiora evehantur. Noſtis Venetorum ambitioſos ſpiritus, qui aut aperta vi, aut occultis inſidiis & dolis omnia poſthabere videntur, dummodo augeant imperium, & ſi fieri poſſit totius Italiae dominatione potiantur. Ii quidem nil magis cupiunt, quam ut vel diſcordiis ſcindatur Reſpublica noſtra, aut ſumptibus & jacturis exhauriatur, aut alterius dominationi ita ſubjiciatur, ut nullum amplius allatura ſit impedimentum ſuis effrenatis cupiditatibus. At nemini ſane dubium quin eorum nimium aucta potentia Neapolitano praeſertim regno ſit futura fatalis, cum jam jam ſuperum mare ſuis claſſibus ita infeſtum

habeant

habeant, ut Apuliae littoribus ac portubus, non ſecus atque iis, qui illorum parent imperio, ſuperbe atque impune utantur. Quis vero eſt qui Romani Pontificis inſignem ambitionem atque avaritiam religionis involutam integumentis non cernat, minimeque doleat eum, qui ſe Chriſtiani orbis dominum dici vult, Suorum cupiditatum eſſe ſervum? Quis non commovetur videns Riarii Comitis tantam eſſe libidinem, ut cum hanc capere ac ſuſtinere non poſſint Provinciae Romanae ditiones, tanquam aliqua calamitoſa tempeſtas, ac peſtis ad Etruriam pervaſerit? Hunc putabit quiſpiam, cum Etruria potitus erit, ſociis temperaturum? Communis eſt cauſſa, mihi credite, commune periculum; communi ſtudio talis improbitas, tanquam incendium aliquod, reſtinguenda eſt. Quae unquam utilitas vobis proponi poteſt ex gratia & amicitia Romanorum Pontificum? Qui cum omnia referant ad conſanguineorum ambitionem, aliquid ſemper novari volunt, ſpe ducti turbulentis temporibus facilius ſe poſſe honori velificari familiae. Praeter quam quod infirma & dubia eſſe ſolent ſubſidia Pontificum, quod paucos & ignavos alant milites, ducibuſque careant; quod eorum publicum aerarium vix domeſticorum cupiditatibus ſufficiat; quodque in plura & contraria ſtudia diſtrahantur homines plerumque aetate infirmi, qui ſpe obſcura ſemper pendent, quibuſque mos eſſe ſolet contrarium decernere ac paullo ante deceſſores ſui decreverant. Non profecto vobis aliunde

exempla ſumenda ſunt, quam parum confidendum ſit Romanis Pontificibus, quam ex domo veſtra atque ex vobis ipſis, qui regni initio inteſtinum, domeſticum & periculoſum bellum a proceribus vobis inlatum doluiſtis, non minus illud excitante atque alente Joanne Andegavenſi, quam Calliſto Romano Pontifice, quamvis ad tantam dignitatem Alfonſi optimi & ſapientiſſimi Regis commendatione atque opibus fuiſſet evectus. Fortuna Pontificum ab inconſtantia & temeritate ſejungi haud poſſe videtur, quod cum diu ſe vivere poſſe deſperent, ac facile ſibi perſuadeant propter religionem ſacrorum & propter amplitudinem ſacerdotii ſe tutos fore ab hoſtium uſurpationibus, ita invadunt in fortunas alterius, quaſi homines ſoluti metu promptioresque ad quidlibet audendum, mutandaque conſilia ad omnes novorum temporum caſus. Quamobrem, per Deum immortalem, colligite vos, deſerite eum, a quo, niſi proſpicitis, brevi tempore deſeremini; conſpirate nobiſcum, conſentite cum bonis, communem Italiae fortunam communi ſtudio atque amore defendite. Nullum externum periculum erit, non Rex, non gens ulla, non natio pertimeſcenda, ſi ſocietate inter nos conjuncti erimus; verum ſi diſsociati animi erunt, furor Barbarorum imminebit fortunis omnium, & (falſus utinam vates ſim) incendia, caedes, direptionem atque vaſtationem Neapolitano praeſertim regno propter locorum opportunitatem & incolarum divitias illi importabunt. Tuum eſt igitur, potentiſſime Rex,

conſulere tempori & incolumitati & vitae & fortunis tuis, & ita recipere in amicitiam & fidem tuam non modo Florentinorum Rempublicam, ſed etiam Italiam univerſam, ut omnes intelligant per te illas ſalvas & incolumes fore. Hujus Rex animi magnitudinem, prudentiam atque ingenium admiratus, cupiensque talem virum ſibi conciliare, honorificentiſſimis verbis plenisque ſpei bonae ab ſe dimiſit. Sed quamvis Rex ad exequendum Laurentii conſilium inclinaret, obſtabant tamen obligata Romano Pontifici fides, incitamenta ipſius Pontificis (107), ceterorumque, apud quos magno erat odio Laurentius ipſe, propria utilitas, quod multa oppida Florentinorum in poteſtatem venerant Calabriae Ducis, ac natura paullo aſperior, ob quam raro veteres inimicitias deponebat; denique memoria praeceptorum Alfonſi patris, qui moriens monuerat colendam omni ſtudio Romanorum Pontificum amicitiam, quod ad Regni conſervationem praecipue ſpectare cenſebat. Vicit tandem in acerrima contentione animi ſtudium quoddam gloriae (addunt alii metus exterorum hoſtium) cui ſe ſervire non poſſe melius arbitratus eſt, quam ſi amicitia conjungeretur cum Laurentio, in quo majora omnia re, quam fama ſe noviſſe dicebat, illud ex Claudiano uſurpans: *vicit praeſentia famam* (108). Dum vero Laurentius Neapoli commoraretur, omni virtutum genere, ſed praeſertim comitate, liberalitate ac munificentia o-

mnium ſibi animos conciliare ſatagebat. Ornabat & apparabat pene quotidiana convivia magnifice & ſplendide, magnum alebat comitatum, in largitionibus erat effuſus, & in collocandis puellis, quae ex Calabria & Apulia quotidie fere ad eum concurrebant, nullum pecuniae modum ſervare videbatur. Omnino ita familiae & Reipublicae dignitatem & decus ſuſtinebat, ut in eum omnium conjecti eſſent oculi damnantium iniquitatem fortunae, quod adeo multis adeoque variis tantum virum antea vexaviſſet tormentis. Sed qui interdiu ampliſſimis honoribus laetus videbatur, noctu in lamentis luctuque jacebat ſuam & Reipublicae vicem reminiſcens. Accuſabatur enim a nonnullis, ut Themiſtocles, quod ad Regem inimicum veniſſet patriae opprimendae cauſſa, quodque id potius intueretur, quod ad ſuam magis gloriam utilitatemque, quam ad ſalutem Reipublicae ſpectaret; intelligebat nihil non moliri Pontificem, ut perpetuis ſaltem tenebris vinculiſque mandaretur; nuntiabatur etiam ei magis magisque ad interitum ruere res Florentinorum, amiſſo oppidanorum praeſertim perfidia exeunte Decembri Sergiano, aliisque oppidis, nihilque non conantibus turbulentis & malis civibus, ut in diſcordia animorum res novarentur (109), ac demum Calabriae Ducem induciarum fidem violaſſe, quod in primis dolebat, perinde quaſi certiſſimum indicium eſſet implacabilis Neapolitanorum odii in Flo-

rentinos. Ipſe interim ſuperos omnes precabatur, ut ſi non gloria, ſaltem aerumna ſua Rempublicam ſervarent; nec minus potentiorum auxilium implorabat, maximeque benevolum ſibi fecit Diomedem Caraffam Matalonae Comitem, cujus conſilium & auctoritas multum apud Regem valebat. Ubi vero hic aperuit ſe non defuturum Reipublicae, & cum ea ſtabile foedus ſe facturum, quod ad ceteros Italiae Principes in officio continendos valeret, non unius diei gratulationem, ſed aeternitatem immortalitatemque ſe conſecutum fuiſſe Laurentius arbitrabatur. Qua re Florentiam nuntiata, plena fuerunt omnia laetitia atque congratulatione, & vel ipſi Laurentii inimici, ſoliti eventibus non prudentia res metiri, haud ſatiari poſſe videbantur in ejus virtute ac conſtantia laudanda, quod tantam rem confeciſſet non alio niſi ſui ipſius periculo; conſiliumque ejus ut divinum a cunctis non probabatur modo, ſed etiam in caelum efferebatur. Pacis vero conditiones fuerunt, quanquam duriora non peteret modo, ſed etiam victoris inſtar exigeret Calabriae Dux, ut is, qui alterutri bellum inferret, communis hoſtis haberetur; ut praeteritarum rerum veniam Florentini a Pontifice peterent; ut delicti gratia fieret iis, qui in arce Volaterrana propter Pactianam conjurationem detinebantur; ut liberum eſſet Regi reddere Florentinis oppida, quae belli tempore iis adempta fuerant, aut in poteſtate illa retinere; &

Digitized by Google

ut certa pecuniae ſumma Calabriae Duci pro belli ſumptibus numeraretur. Actum etiam de recuperando Sergiano, deque Regulis, qui in Aemilia imperabant, ut eorum jura ſarta & tecta eſſent ab Pontificis ac Venetorum armis atque contumeliis. Neque dubitabat Laurentius, quin faciliorem aliquando Regem eſſet habiturus ad eas conditiones tollendas, quas duriores ſibi proponi nonnulli Florentinorum querebantur (110). Quae antequam convenirent, ferunt Laurentium, cum donatus a Rege equo fuiſſet, illi lepide dixiſſe ſibi pernici equo opus fore, qui optatiſſimae pacis nuntium citiſſime patriae afferret, quod non tam ad eliciendam ejus ſententiam, quam ad cupiditatem diſceſſus excuſandam valebat. Diſceſſit ille quidem pridie non. Mart. an. MCCCCLXXX. ampliſſimis honoribus cumulatus, & Liburnum primum, deinde Piſas appulit, quibus in locis, & Florentiae praeſertim tot amoris ſignis, totque acclamationibus populi ille exceptus eſt, ut lux ſaluſque reddita Reipublicae ac reſtituta videretur. Quod ſi gubernator praecipua laude fertur, qui navem ex hieme marique ſcopuloſo ſervat, cur non ſingularis ejus exiſtimabitur prudentia, qui patriam ex tot tamque gravibus procellis ad incolumitatem perduxit? Pax haec occaſionem dedit Pontifici & Venetis querendi cum foederatis, quod inconſultis ipſis tanti momenti negotium confeciſſent; & jam elaborare videbantur, ſi quo modo hanc inju-

Digitized by Google

riam ulciſci poſſent. At Rex omni lenitate mollire Pontificis animum, eique perſuadere ſtuduit, ſe non tam belli odio, quam timore inconſtantis fortunae, & barbarorum hoſtium foedus cum Florentinis pepigiſſe. Cnjus ex epiſtolis cognoſci poteſt ipſum invitaſſe Laurentium, ut ad ſe ſe rediret (111), quod quamvis inviolata amicitia & officio integro ad levandas quasdam Pontificis ſuſpiciones, novaſque conditiones ſtatuendas ſe facere declararet, non potuit tamen non eſſe ſuſpecta Laurentio hujuſmodi invitatio. Sed quo hic callidior & prudentior erat, eo irritabatur magis Hieronymus Riarius Comes, qui omnia permiſcere optabat, dum ne ulla Laurentio quies & ſpes ſalutis relinqueretur. Itaque, communicatis conſiliis cum Friderico Urbini Duce, de bello inſtaurando, noviſque ſociis ſibi adſciſcendis toto pectore cogitabat. Nihilo tamen minus Florentini legatos ad Pontificem miſerunt, experiendi cauſſa, num ipſe ulla ratione ad tranquillitatem deduci poſſet; ſed ille ſuo more ferociter ac ſuperbe ſe nunquam Florentinorum poſtulatis aures daturum profeſſus eſt. Non hujus modo ferociam, ſed & potentiam Venetorum timebant Florentini, & aegrius etiam ferebant, quod maneret Calabriae Dux cum ſuis militibus in ipſa Senarum urbe, ubi non modo auctoritatem, ſed etiam imperium exercebat in cives inter ſe graviſſime diſſentientes. Nunquam certe majori in periculo fuerat civitas illa, nec

Digitized by Google

ſine cauſſa multi ſuſpicabantur hominem praeter ceteros gloriae & dominationis appetentem ſervitutem univerſae Etruriae moliri. Sed accidit res huic ſalutaris. Nam Mahometes Turcarum Rex, poſtquam Rhodum fruſtra expugnare conatus fuiſſet, in Italiam exercitum miſit, qui capto Hydrunto non Salentinis modo, ſed univerſo etiam Neapolitano Regno caedem, incendia, ruinam minitari videbatur. Reprehenditur a nonnullis Laurentius (112), quod veluti Homericus ille Ulyſſes

Εἰδὼς παντοίους τε δόλους καὶ μήδεα πυκνά

ſollicitaverit Mahometem ad mittendum exercitum in hujuſmodi expeditionem, propterea quia hoc unum remedium tot Etruſcorum incommodis eſſe arbitrabatur. Tantus profecto injectus eſt Ferdinando terror ob adventum Turcarum in Apuliam, ut ſtatim revocaverit ab Etruria Calabriae Ducem, cujus diſceſſu haec a timore ſervitutis reſpirare viſa eſt. Turcarum metus valuit etiam ad moderandum Pontificem, qui multum de priſtina ira atque odio adverſus Laurentium ſe remiſiſſe, & Florentinos poſſe ab ſe veniam praeteritorum implorare oſtendit. Hac de cauſſa Romam duodecim primarii viri legantur (113). Fuere hi Franciſcus Soderinius Volaterranorum Epiſcopus, Aloyſius Guicciardinius, Antonius Ridolphus, Joannes

Jan-

Digitized by Google

Janſiliatius, Petrus Minerbettus, Guido Antonius Veſpuccius, Thomas Albitius, Ginius Capponius, Jacobus Lanfredinius, Dominicus Pandolfinius, Joannes Tornabonius & Antonius Medices. Neque tutum, neque decorum judicatum eſt cum illis mittere Laurentium, quamvis id a Pontificiis efflagitaretur. Dominica prima Adventus an. MCCCCLXXX. omnes in porticum S. Petri Baſilicae mane conveniunt Pontificem atque Cardinales praeſtolantes. Fecit verba Volaterranorum Epiſcopus legationis princeps, cujus oratio fuit hujuſmodi, ut ineſſet mixta gravitati modeſtia. Nihilo tamen minus verbis aſperrimis (quid enim unquam fuit mite in Roboreis Pontificibus?) eos reprehendit Sixtus, ea omnia commemorans, quae civitas adverſus Pontificiam majeſtatem feciſſe arguebatur; & poſtquam irae ſatisfecit, molliori uſus oratione virga ſingulorum terga de more verberans (114) Florentinos omnes Romanae Eccleſiae reconciliavit, atque conficiendorum ſacrorum jura iis & vicinis Dioeceſibus reſtituit. Legati, qui nullo comitatu & noctu in Urbem introierant, tanta celebritate laetitiaque Romanorum eo die domum deducti fuerunt, ut triumphare viderentur. Minuit tamen illius diei gratulationem immoderata Pontificis poſtulatio, qui veluti peccatorum poenam exigebat a Florentinis, ut quindecim triremes inſtruerent armarentque ad motus conatusque Turcarum prohibendos. Id non ſolum grave, ſed etiam intole-

randum viſum eſt Laurentio, quare, ipſo auctore, Romam iterum mittitur Veſpuccius, qui pro dexteritate, qua pollebat, in rebus agendis, aequiora ut poſtularentur a Pontifice impetravit. Dedit hic quoque alia reconciliati animi ſigna; neque obſcure ſignificabat Riarius Comes ſe velle in gratiam cum Laurentio redire, non quia animus ejus ſatiatus eſſet crudelitatè exercenda., ſed quia id plurimum conducere rationibus ſuis arbitrabatur. Verebatur enim ne Florentini auxilium ferrent Ordelaffis, quos Foro Livio his temporibus expellendos curavit, ut hanc urbem ſua in ditione haberet. Tali modo conſtituta pace cum Pontificiis, omnem ſuam curam cogitationemque convertit Laurentius ad recuperanda Florentinorum oppida, quae Alfonſus in bello ceperat, & ex Etruria diſcedens Senenſium fidei commiſerat. Haec res bene & feliciter illi ſucceſſit ob inſignem gratiam, quam ſibi conciliaverat Ferdinandi Regis, cui per legatos Reipublicae nomine gratiae actae fuere, & univerſae Aragoniorum familiae (115). Poſt haec illa providit, quae ad ſtabiliendam ipſam pacem, & Reipublicae fortunam maxime conducere exiſtimavit. Concilium eſſe voluit LXX. virorum, quod concilium cuſtos, praeſes, propugnator Reipublicae eſſe debebat. Id mihi duabus de cauſſis inſtituiſſe videtur, ut pro virtute & pro amicitia in ſe multis praemia darentur, utque deliberationes, quae habebantur de Republica, multorum

conſiliis perpenderentur. Ea propter libera lingua quilibet uti poterat, priuſquam decreta fierent, his vero latis, criminis loco habebatur contra dicere. Ex hoc concilio ſexto quoque menſe Octoviri legebantur, qui *Octo Practicae* appellati ſunt, quibuſque rerum externarum, quae ad Rempublicam pertinebant, cura commiſſa erat, nec non Duodecemviri, quos *Communis Procuratores* nominavere, quia eorum munus eſſe debebat res urbanas procurare. Quod nervi imperii ſunt pecunia & fides publica, etiam atque etiam vidit Laurentius quomodo ſatisfieri iis poſſet, qui argentum mutuum dederant, & qua ratione Provincia ſumptibus & jacturis exhauſta priſtinum robur recuperaret. Nullum enim in Italia erat imperium, quod divitiis contendere cum Florentinis poſſet, qui ubique fere gentium poſſeſſiones, negocia, res pecuniarias habebant, uſque eo ut vacillantes interdum Regum fortunas ſuſtinere potuerint (116). Id autem eo difficilius videbatur, quod dandam ſibi operam Laurentius putavit, ne nova tributa imponerentur: obſurdeſcunt enim magis quotidie boni viri ad vocem tributi, mali querelarum & motuum in iis cauſſam inveniunt, praeſertim ſi pacis tempore illa imperentur. Curavit ſtudioſiſſime ut plebs haberet negotia ſua, quibus ab malo publico detineretur, multiſque ad mercaturam faciendam ſine foenore pecuniae ſubſidia dedit. Quod vel ipſi nobiles viri illam magnam & copioſam mer-

caturam, multa undique multisque cum grandi quaeſtu impertientes, exercebant, horum utilitatibus plurimum ſe proſpicere putavit, ſi unicuique liberum fuiſſet naves ad merces convehendas conſtruere, & quocumque voluiſſet mittere. Nam antea omnis res navalis & maritima ad commoda Reipublicae, vel ut loquebantur ad *Commune* pertinebat, ex quo fiebat ut paucorum quaeſtus eſſent, & importatae in Etruriam merces magno pretio venirent. Promovit etiam Laurentius opera atque artificia, & quo ſtudioſius colerentur, praemia propoſuit, quibus donarentur, quorum egregia in ea re fuiſſet induſtria. Dolebat vero vehementer rationes ſuas quamvis ampliſſimas multis in locis a procuratoribus negligenter adeo adminiſtratas fuiſſe, ut aes alienum conflatum fuerit ducentorum millium Florenorum, qua re fiebat, ut modum quemdam ſuae liberalitati ac munificentiae finire tum cogeretur. Ordine, diligentia ac prudentia ſumma & rem reſtituit, & decus atque dignitatem ſervavit. Suppeditata etiam ei fuit pecunia ex publico aerario ad debita ſolvenda, cum ſummi Magiſtratus ſe paſſuros negarent, ut is diſtraheret domeſtica bona, quae non avaritiae, ſed beneficentiae inſtrumenta ei ſemper fuerunt. Incerti & fallaces exitus mercaturae facile ei perſuaſerunt fidendum maxime agriculturae, quae utilitates neque incertas neque precarias parere ſolet, quamque Principe viro magis dignam eſſe arbitratus eſt.

Itaque cum fundos ampliſſimos haberet in agris Florentino, Piſtorienſi, Volaterrano ac Piſano, ita colendos putavit, ut fructus ex iis uberrimos perciperet. Agnani certe paludem, ſi diutius vixiſſet, omnino exſiccaſſet, cujus in colle cum domus eſſet ſatis ampla, effecit ut haec quoque hortorum amoenitatem ſuppeditaret. Quod nihil commodius exiſtimabat hoc Tyrrheni litoris ſinu, eo venire ſolebat extremis temporibus feriarum eſurialium ad recreandum animum ſolitudine (117). In Cajano aedes a fundamentis excitavit, quae magnificentia regias aequarent. Ibi ſaepe venatione ac praeſertim aucupio ſe oblectabat, quod natura & arte eſſet locus hujuſmodi oblectamento idoneus. Hos pacis fructus eſſe dicebat, qui quantum haberent voluptatis, carendo magis quam fruendo intelligebat. Raro enim in tanta rerum publicarum mole otiabatur, & ii ipſi, quos ex harum adminiſtratione ferebat fructus, aliqua ſemper acerbitate permixti erant. Quis unquam crederet tanto viro, in cujus capite non Etruriae ſolum, ſed univerſae etiam Italiae ſalus & tranquillitas poſita videbatur, quoſdam extitiſſe crudeliter adeo inimicos, ut de illo interficiendo iterum conjuraverint? Fuere hi Jo. Baptiſta Freſcobaldius, Amorettus Guidonis Baldovinetti filius ex concubina genitus, Antonius atque Franciſcus Balduccii, qui patrandae caedi deſtinarunt Templum, quod *Carmeli* dicitur. Freſcobaldius quidem principio Laurentium

veneno necare deliberaverat, ſtimulantibus Nerio, Acciajolio aliiſque, qui Romae degebant, exulibus Florentinis, & Riario Comite, cum quibus conſilia ſua coram communicaverat. Sed occultis inſidiis, ad quas declinandas multam diligentiam adhibebat Laurentius, apertam vim praeferre placuit, magna ſuis adjutoribus large effuſeque promittens Freſcobaldius, ſi animum geſſiſſent virilem. Verum cum rem in ſolemnem *Aſcenſionis* diem diſtuliſſent, quae ii mente ſcelerata & nefaria parabant per amicos Laurentii facile detecta fuerunt. Itaque comprehenſi omnes praeter unum Franciſcum Balduccium, praeſenti morte poenas Reipublicae tanti facinoris pependerunt (118). Nemo vero fuit, qui non maxime admiraretur potuiſſe Freſcobaldium tantam in inſaniam incidere, qui ſummis a Laurentio antea ornatus fuerat beneficiis, quique, dum Byzantii res Florentinorum maritimas procurabat (*Conſulem* dicimus) egerat diligenter, ut Bandinius in poteſtate Reipublicae eſſet. Sed rerum novarum cupiditas obcaecavit hominem, cui non minor audacia erat quam vanitas, omnes vero ſtimulavit magnitudo aeris alieni atque inopia rei familiaris. Nam in liberis civitatibus plerumque ii, quibus opes nullae ſunt, bonis invident, malos extollunt, vetera odere, nova exoptant, odio ſuarum rerum mutari omnia ſtudent, turba atque ſeditionibus ſine cura aluntur, quoniam egeſtas facile habetur ſine damno. Quae reſpiciens

Digitized by Google

Laurentius circum ſe praeſidia amicorum atque clientum occulte habebat, dolens eam eſſe conditionem adminiſtrantis Rempublicam, ut ejus vita omnibus fortunae telis ſemper propoſita ſit. Sed ejus inimici detorquebant in crimen quidquid ipſe gerebat ad cavendas inſidias, quaſi in ejus domo eſſent excubiae, arma, ac cetera aulae (119); at aequiores homines introſpicientes ejus ingenium & mores, deteſtari hujuſmodi voces, hortarique Laurentium, ut ſecuritatem ac diligentiam ſibi & Reipublicae praeſtare pergeret. Rebus urbanis per illum compoſitis, ea aſſidue cogitare, monere, niti, quibus res Italiae ſtarent, atque ut illius verbis utar, examine aequo penderent. Nam Veneti praeſertim terra marique potentes tantum audaciae ſumpſerant, ut de dilatando imperio nunquam conquieſcerent, ſic ut quo magis illorum opes augerentur, reliqui Italiae populi atque Reges ſuas imminui trahique in diſcrimen arbitrarentur. Eo tum ſpectabant ut Ferrariae Ducatu potirentur, cui rei opportuniſſimum fore exiſtimabant ictum cum Pontifice ſupremo illius domino foedus, quod ut magis magisque confirmarent, nullo non honore Riarium Comitem ad ſe venientem exceperunt (120), & vel ipſis Patriciorum juribus civitateque donarunt. Hanc autem praetexuerunt cauſſam arma ſumendi, quod ſale a Venetis importato Hercules Dux uti recuſaret ea in regione, quae a Rhodigio oppido intra Padum a-

mnem & Ferrariam late patet, quodque a Republica miſſum Magiſtratum ad jus eadem in regione dicendum (*Prodominum* appellabant) ab exercendo munere impediret, contra id quod pacto & promiſſo conſtitutum fuerat. Florentini, Ferdinandus Rex, cui Hercules gener erat, & Ludovicus Sfortia, qui tum, ut diximus, Inſubribus Galeatii nomine imperabat, minime deſerendum Herculem Ducem putarunt multis quidem de cauſſis, ſed illa praeſertim, quod animo praevidebant ac praeſentiebant Venetos non una victoria fore contentos. Itaque Laurentius apparare omnes res, quae eſſent neceſſariae ad bellum adminiſtrandum, & quod verebatur, ne nimium pertinaciter offenſus Pontifici videretur, certus eſſe voluit ei in animo eſſe ambitioſis Venetorum coeptis favere. Qua re cognita, Neapolitani hoſtilem in modum Romanum agrum vexabant, dum Florentini interea Tifernum premebant, quo capto, in Nicolai Vitellii dominatione, qua paullo ante Sixti injuria fuerat ſpoliatus, illud eſſe voluerunt. Quoniam in his aſperitatibus rerum deduci poſſe Pontificem a fide Venetis data ſperabant, ubi armis ſe nihil proficere intellexerunt, oecumenicum Concilium, quod & optare Caeſarem fama erat, denuntiare coeperunt. Ea de cauſſa Laurentius Baſileam miſit Baccium Ugolinium hominem fideliſſima gratia ſibi conjunctum, qui quod nihil omiſerit diligentiae ad exequendum munus & negotium ſuum (121), eo majorem

majorem ſuſpicionem & metum attulit Pontificiis. Tum ceſſit Sixti animus, & Caeſaris Legatis, qui per illa tempora Romae aderant, ſuam auctoritatem interponentibus, quinquennii foedus cum Florentinis, Neapolitanis, Mediolanenſibus aliiſque ſancivit (122). Non propterea diſcedendum ab armis Veneti putarunt, cumque Ficarolum cepiſſent, ac Padum tranſiiſſent, ipſam Ferrariae urbem omni vi urgebant. Pertimeſcebat quoque ſibi Conſtantius Sfortia Piſauri Dominus, quem & pecunia juvit, & cum tota illius familia hoſpitio invitavit Laurentius, cujus conſilia ſi ſecutus fuiſſet, fortunae ſuae non illum poſtea poenituiſſet (123). Quae vero faciebat Laurentius ad motus conatuſque Venetorum prohibendos, fiducia maxime faciebat Friderici Urbini Ducis, cui copiarum, quas alebat Florentina Reſpublica, imperium dederat. Videbatur ſtrenuiſſimus ille ſuae aetatis imperatorum maxime tribuere militibus, quos Manfredii ceterique, qui in Amonis valle dominabantur, contrahebant (124), cum mirari ſatis fortaſſe non poſſet rei militaris ſcientiam, quae tum praeſtare ceteris omnibus ob continuas Principum diſcordias putabatur, deeſſe plerumque Florentinis. At res erat maximi momenti de omni Italicarum rerum ſtatu, communicatis conſiliis, conſiderare. Convenere itaque Cremonae Ludovicus Sfortia, Hieronymus Riarius, Alfonſus Calabriae Dux (125), & ſi qui praeterea iis temporibus magni nominis in

Digitized by Google

Italia erant, & militiae gloria clari, conſulendi cauſſa de ratione belli gerendi, coercendique hoſtiles Venetorum ſpiritus. In iis quoque fuit Laurentius (126) conſilio & lingua princeps, cujus certe prudentia factum eſt, ut multa proſpere proceſſerint, & Ferrariae Dux non ſolum armorum metu liberatus fuerit, ſed etiam multum ſibi timere debuerint Veneti, Bergomatium, Brixianorum & Veronenſium agris magna ex parte foederatorum poteſtati ſubjectis. Haec felicitas, & ſummum periculum ac diſcrimen, in quod adductae erant res Venetorum, perſuaſit his, ut occulte rogarent Ludovicum Sfortiam, ne ſineret Neapolitanorum arma longius progredi, quoniam rei publicae calamitas a ſua ſejuncta eſſe non poterat. Nam cum in eo maxime elaboraret, ut rerum Mediolanenſium ſolus potiretur, prorſus remoto Galeatio, cui Iſabellam filiam Calabriae Dux deſponderat, facile erat praevidere ſe aut mortis, aut ſervitutis in periculum adductum iri, ſi ad Neapolitani Regis imperium nobilior Ciſalpinae Galliae pars adjuncta fuiſſet. Tantus eſt injectus homini terror, ut fruſtra, reclamantibus ceteris foederatis, pacem cum Venetis facere deliberaverit. Ita bellum, quo nullum ea aetate illuſtrius ob conſilium in providendo, ob induſtriam in apparando, ob felicitatem in rebus agendis, & ob utilitatem multorum Italiae Regulorum, quorum fortunas ruere neceſſe erat, ſi Ferraria potiti eſſent Veneti, eodem

ferme temporis momento, quo exortum fuerat, unius diſſenſione ſublatum atque ſepultum eſt. Non invite Laurentius pacis conditionibus aures praebuit, quod pacem vel iniquam, dum arma deponerentur, utiliorem eſſe, quam juſtiſſimum bellum exiſtimabat. Obſtabat & haec graviſſima cauſſa perſequendis inimicitiis, quod lethali morbo ex labore & paluſtribus aquis Fridericus Feltrius erat implicitus (127), quodque mortem obierat Fridericus Mantuae Marchio, qui patientia incredibili molliebat acres & ſuſpicaces animos Calabriae Ducis & Ludovici Sfortiae. Nihilo tamen minus miraberis eam pacem a Venetis impetratam fuiſſe, ut non modo nullam propriarum rerum jacturam fecerint, ſed etiam utilitatem haud mediocrem ex illa perceperint. Convenit enim, adnitente maxime Ludovico, ut Hercules Dux Rhodiginum agrum, & ſi quid aliud eſſet, cujus rei cauſſa ventum eſſet ad bellum, Venetis cederet. Quae dum agebantur, Pontifex de recuperando Tiferno magnopere cogitabat. Exardeſcebat is iracundia & ſtomacho, quoties audiebat aliquid aut occulte, aut palam fieri a Laurentio, quod ejus in Nicolaum Vitellium ſtudium declararet. Erat profecto e re Florentinorum hiſce Regulis favere, quos cum haberent vicinos & fidos, facilius ſuas regiones fineſque defendere poterant; praeterquamquod omnis amplificatio Pontificiae ditionis periculoſa eſſe poterat Reipublicae. Nihilo tamen

minus ea erat conditio temporum, ut Laurentius aperte obſiſtendum eſſe conſiliis haud judicaret, invitabaturque a ſuis, propriaeque familiae utilitate (128) ad pacem & amicitiam inter Pontificem ipſum & Vitellios conciliandam. Magnam etiam gubernationem ejus conſilii ejuſque auctoritatis deſiderabant res Ariminenſium & Piſaurienſium, quod extinctis eorum Dominis Ruperto Malateſta & Conſtantio Sfortia, id moliretur Sixtus, ut horum liberos paterna hereditate ſpoliaret. Sed vicit prudentia Laurentii cupiditatem Pontificis, & ea tribuit pupillis, horumque viduis matribus, ut in potentia Florentinorum & in beneficiis & amicitia Laurentii maximum ſuae dominationis praeſidium ſe habuiſſe judicaverint. At dum ipſe gaudebat ſe unum hominem eſſe, qui de multorum ſalute tuenda, prohibendiſque eorum conatibus, qui audacius dominari cupiebant, rogaretur, vehementer timebat, ne aeque providus & felix non videretur in recuperandis ſuae Reipublicae juribus. Quaerenda igitur eſſe arma putavit, quibus Genuenſes dominatu Sergiani pelleret, quoniam nec per Baptiſtam Fregoſium magnas res in patria, faventibus Florentinis, moventem, ut ad auctoritatem priſtinam, qua a patruo ſpoliatus fuerat (129) reviviſceret, nec per pacificatores quidquam obtineri poſſe intelligebat. Nihil tamen ſatis illuſtre, atque ex dignitate Reipublicae Florentinae principio actum eſt, & qui tum vertebatur

annus mccccLxxxiv. ob hanc unice cauſſam glorioſus Laurentio fuit, quod multorum periculis ipſe ſubvenerit, metuque graviſſimorum bellorum Italiam liberaverit, quodque ſua pacificatoria conſilia vel iracundum Sixtum ſequi coegerit. Tradunt multi hunc indigne adeo tuliſſe redditam Italiae pacem, ut ex triſtitia mortem obierit. Id accidit id. Sextilis, poſtquam tredecim annos & quinque dies regnaſſet. Quod ipſe in maximis turbinibus ac fluctibus, ob effrenatam maxime cupiditatem augendae familiae divitiis atque fortunis, Chriſtianae Reipublicae navem gubernaſſet, factum eſt divina providentia, ut ei ſucceſſor daretur vir moderato ac miti ingenio, cui nihil tam cordi erat, quam ſumma pax, ſumma tranquillitas, quique ad conciliandum ſibi omnium amorem & ſtudium natus videbatur (130). Is fuit Innocentius VIII. patria Genuenſis, Graecus origine, cujus pater Aruntes Cibo majorum nobilitate & rei militaris gloria clarus, magno in honore fuerat apud Alfonſum Aragonium Neapolitanorum Regem; ex quo factum eſt, ut ipſe admodum adoleſcens Amalphitenſi ſacerdotio, a quo & nomen traxit, augeretur. Cum, renuntiato Pontifice Maximo Innocentio, pax, ut diximus, bene conſtituta videretur, ipſe ex hac fructus uberiores & praeſtantiores ſe percipere poſſe putavit, ſi benevolentiam Laurentii ſibi conciliaſſet, & crebritate & magnitudine beneficiorum injurias eidem a Deceſſore

Digitized by Google

ſuo illatas ſarcire curaſſet. Quapropter non ſolum uſitatum, ſed etiam quotidianum erat aliquid ab ipſo audire, quod pro Mediceorum omnium dignitate amice atque honorifice ſe facturum prae ſe ferebat (131). Cogebat autem Laurentium tum cura de Reipublicae ſalute, tum rerum domeſticarum ſtudium & familiae dignitas, ut tantae Pontificis benignitati reſponderet. Itaque Romam miſit Petrum filium cum mandatis, quae tum ad ipſius Pontificis, tum ad univerſi Cardinalium Collegii, tum ad principum populi Romani gratiam ineundam mirifice valebant (132). Ex ipſis vero ſingularibus honoribus, qui Mediceis habebantur, intelligi poterat quanta rerum commutatio facta eſſet; & ſaepe Laurentius declarabat Pontifici ſe veteres contumelias voluntaria oblivione contriviſſe, ſeque ita a patribus majoribuſque didiciſſe, haud poſſe melius familiae gloriam decuſque augeri, quam ſtudio & obſequio in Romanos Pontifices. Interea experiri voluit Laurentius, num per Pontificem ipſum controverſiae, quae Florentinis erant cum Genuenſibus Sergiani recuperandi cauſſa, dirimi poſſent. Cujus reconciliationis ſpe adempta, liberius atque audacius de bello conſilia inire coepit. Nam non ſolum amiſſum recuperare, ſed & Petram Sanctam, nobile Genuenſium oppidum, Florentinorum ditioni adjungere cogitabat, quod cum medium ſit Piſas inter & Sergianum, maxime id expedire ad diuturnitatem victo-

riae & dominationis videbatur. Hoc occultato conſilio, jubet Laurentius Piſis eo proficiſci cum magno commeatu parvam militum manum. Qui in praeſidio oppidi erant ſpe praedae allecti exeunt, & illa facile potiuntur. Haec Florentinis juſtiſſima cauſſa viſa eſt ad oppidum aggrediendum, juxta quod caſtra poſuerant. Principio culpa ducum & militum non admodum feliciter res proceſſit. Eam ob rem nova auxilia mittuntur, factumque ſtudio Antonii Puccii, cui continendi in officio milites, excitandique ignavos ad laborem & laudem Laurentius curam commiſerat, ut omnes nova virtute inflammarentur. Hi quidem tanta fortitudine rem geſſerunt, ut cum montem, qui proximus eſt oppido, occupaſſent, venire in deditionem oppidanos coegerint. Tum Laurentius ad exercitum acceſſit, quod per eum maxime negotium tranſigi placuit. Laetam civitatem ob receptum oppidum tam opportunum ad ſummam belli conficiendam mors duorum civium Puccii & Janſiliatii, quorum opera magni ea in re fuerat, & Lucenſium legatio turbavit. Hi enim Petram Sanctam majorum ſuorum coloniam, quam in ditione aliquandiu tenuerant, ſibi reddi poſtulabant. Sed quoniam ita natura comparatum videmus, ut qui eſt ſuperior viribus, is tanquam in eo jus omne ſit, aequum cenſeat eum ſibi, qui eſt imbecillior, cedere, ita Florentini Lucenſium poſtulationibus reſponderunt, ut illis omnem

Digitized by Google

ſpem ademerint recuperandi oppidi, pro quo tot impenſas ſe feciſſe, tot civium ſanguinem fudiſſe dicebant, ut haec nullo modo compenſari poſſe putarent. Sic dimiſſis Legatis, tempus idoneum expectabant Florentini, quo Sergiano arma inferrent. Sed ineunte vere an. MCCCCLXXXV. ne cogitata perficerent, obſtitit adverſa Laurentii valetudo. Nam praeter artuum dolores, quibus ſaepe tentabatur, adeo ſtomacho laborabat, ut medicorum conſilio ſaluti ſuae S. Philippi, ut appellant, aquis, quae ſunt in ditione Senenſium, ſubveniendum putaverit. Erat & alia cauſſa differendi belli adverſus Genuenſes, quod, novis inter Pontificem & Neapolitanorum Regem ſuſceptis inimicitiis, ignorabant Florentini, qua ratione ex hoc negotio emergerent. Reperiebatur autem origo hujus odii in ambitione & avaritia Riarii Comitis & in turbulento Sixti Pontificis animo, qui Principibus Regni Neapolitani natura mobilibus rerumque novarum cupidis ferme calcaria admoverunt, ut a Rege deſciſcerent. Et profecto iſthaec conjuratio citius e latebris erupiſſet, niſi e vita Pontifex ipſe ereptus fuiſſet. Sed qui tum conſpiravere, compreſſo odio, idoneum tempus expectabant ad illud explendum, vixque Pontifex creatus fuerat Innocentius, cum ei per ſecretos nuntios exponunt, ne oblatam occaſionem recuperandi regnum juraque Sedis Apoſtolicae omittat; exhauſtum illud ſumptibus belliſque maximis; facta, mores, faciem

ciem denique ac nomen Aragoniorum omnes deteſtari, quod tanta libido in iis crudelitatis exercendae, atque omnium bona devorandi, inſtigante maxime Regem hominum immaniſſimo Calabriae Duce, appareret, ut nihil tutum ac ſanctum fore videretur, omneſque jam de delenda tyrannide conſenſiſſe. Quanquam, ut diximus, ii eſſent mores Pontificis, ut nihil dulcius pacis nomine, nihilque ſalutarius eſſe putaret, ipſe tamen aures libenter praebuit ſeditioſorum invitamentis, quod recordatio veterum quarumdam offenſionum non modo odium in Aragonios, ſed etiam ſpem alebat amplificandi imperii, ſuorumque fortunae facilius conſulendi. Id Rex dolens Romam miſit Joannem filium Cardinalem, qui nequicquam omnia expertus, ut mitigaret Pontificem, & a malo publico averteret, paucos poſt dies e vita migravit. Coepta inde parari ea, quae ad bellum eſſent neceſſaria, dum interea rebelles magna cum pompa Pontificis inſignia Salerni erexere, magniſque promiſſis Aquilanos, qui deficientes a Rege fidem ejuſdem Pontificis implorabant, in propoſito confirmarunt. Horum exemplum alia Lucanae Apuliaeque oppida ſecuta ſunt, ſic ut omnia belli incendio conflagratura eſſe viderentur. Pontifex auxilia a Venetis petiit. Hi palam negant, quod feſſi bello Ferrarienſi novo ſe implicare haud e re ſua fore dicerent. Cum dimiſiſſent tamen ab ſe ſe Rupertum Sanſeverinatem cum illius, quas alebant

R

copiis, iſque tranſiiſſet ad Pontificem, ſatis oſtendebant inclinare omnium voluntates ad hujus conſilium ſecreto adjuvandum. Expulſis enim regno Aragoniis, omnes Italiae populos a ſe ſubigi facile poſſe ſperabant. Itaque Ferdinandus Rex ab internis externiſque hoſtibus pericula ſibi metuens, mandavit homini fideli & prudenti Joanni Albinio, ut ad Laurentium iret, ejuſque conſilia ac ſtudia, potentiam atque opes Florentinorum imploraret (133). Laurentius, quem nihil moverunt conjuratorum promiſſa, ſi cum ipſis ſocietatem feciſſet (134), id ſibi amplum & praeclarum exiſtimavit, quod voluerit Ferdinandus ſuae fidei diligentiaeque periculum facere; praedixit, id quod intelligebat, tempus opportuniſſimum Regi hoc divinitus datum eſſe, ut licentiam atque ſuperbiam Regulorum infringeret; monuit tamen omnia circumſpicienda cum quadam ſimulatione negligentiae (135), clementiam, manſuetudinem atque humanitatem vel ipſis adverſariis tribuendam; nova haud exigenda tributa; nihil impigre in hoc negotio gerendum; ſollicitandum Ludovicum Sfortiam; trahendos in partes Urſinios, quibus in rebus ſe ſatisfacturum Regis votis, ſuaeque in illum amicitiae ſpopondit. Verum praevidebat permultos Florentinorum memores calamitatum, quibus Reſpublica olim affecta fuerat a Calabriae Duce, recuſaturos quidquam illi ſubſidii afferre, eosdemque reſpecturos potius Pontificem, qui co-

dem tempore auxilia ab iis efflagitabat. Acta in Senatu res eſt, certatumque primum inter Patres maledictis, extiteruntque qui exprobrarent Laurentio ejus culpa fieri, quod aliquod ſemper belli periculum in viſceribus Reipublicae reſideret. Tum ſibi pro ſuo jure ſumpſit Laurentius, ut, adhibita quadam in dicendo ſpecie atque pompa, ea exponeret civibus ſuis, quae maxime in difficillimis temporibus cavenda atque praevidenda illis putaret; *non dubitare ſe familiae ſuae fructuoſiorem fore amicitiam Pontificis, ſed illa vana putare, quae cum communi ſalute non eſſent conjuncta: illud debere omnibus eſſe perſuaſum curam Reipublicae defendendae jampridem apud ſe excubare, & niſi videret mala atque ſcelera, quae partim parabantur, & jam cogitabantur, partim ex tempore futura erant, regno ſpoliatis Aragoniis, belli ſuſcipiendi conſilia ſe prorſus abjecturum*. Haec eſſe ſolebat Laurentio dicendi ratio de rebus praeſertim publicis, ut boni, quod haberet, id amplecteretur, exornaret, exaggeraret, ibi quodammodo commoraretur, ibi habitaret, ibique haereret. Quid multa? Attulit omnia argumenta cur non deſerendos Aragonios cenſeret, quorum periculum non modo cum Etruriae, ſed etiam cum univerſae Italiae periculo ac ſalute conjunctum eſſe probavit. Ultimum orationis fuit, *ſe arma capere, vocare omnes cives ad arma; ſi quis impediat, quiſque ille ſit, ſe pro patriae hoſte habiturum*. Hac oratione habita, qua ni-

hil gravius, nihil copioſius, nihil ornatius (excepta enim ex ore dicentis fuit) ſe unquam legiſſe affirmat Nicolaus Valorius, mirabiliter converſae ſunt omnium voluntates, omnibusque ſuorum periculo juvare Aragonios placuit. Pari etiam rationum momento Laurentius effecit, ut ardens & erectus eſſet Ludovicus Sfortia ad obſiſtendum armis Sanſeverinatis (136), qui veluti ab ſe victis Neapolitanis inſultare, & regnum jam inter ſuos partiri videbatur. Conſcripti milites a Florentinis fuere, conductique mercede ſexaginta millium centuſſium, quorum tamen maxima pars pendi debebat a Mediolanenſibus (137), Virginius, Julius, Vicinius & Paullus Urſinii. Belli impetus fuit in Latio viciniſque locis, cumque infeliciſſime res evenirent Alfonſo Aragonio ſive culpa & paucitate ſuorum, ſive mora foederatorum, & metuens, & ſtomachans properare ad Laurentium deliberavit, cui unice in tanta rerum difficultate confidere videbatur. Ille ipse qui paullo ante ſuperbia atque inſolentia incredibili terrorem intulerat univerſae Etruriae, ſupplex ac profugus, omniſque pene rei egens conſedit in Monte Politiano exitum expectans promiſſorum Laurentii. Quod hic ire per ſe non poterat (nam tum, ut diximus, morbo laborabat) miſit ad illum Jo. Serriſtorium, & Petrum Philippum Pandolphinium, qui ſpoponderunt perpetuam Reipublicae Florentinae in tuendis Aragoniis curam. Additus etiam animus Fer-

Digitized by Google

dinando Regi fuit, miſſis ad eum Laurentii opera litteris Alfonſi filii, quibus ſe & incolumem eſſe, & caſus ſuos opibus Laurentii ſuſtentare, nec mediocria ſibi a Florentinis ad ſpem oſtendi nuntiat. Litterae clauſae laminis ex ſtamno tenuiſſimis, involutaeque pane primum crudo, mox cocto, datae ſunt homini victum oſtiatim ſimulate quaerenti, qui pane, de quo diximus, cum fruſtis aliis panis peram repleverat. Ita ille, quamvis omnes viae, per quas tranſire debebat, obſiderentur ab hoſtibus, incolumis cum litteris ad Ferdinandum pervenit. Interim multae urbes ſollicitatae ſunt ad deficiendum a Pontifice, & quod Peruſiae Rodulphus & Guido Baglionii, Tiferni Joannes & Camillus Vitellii, (nam illorum pater Nicolaus paullo ante mortem obierat) Joannes Gattus Viterbii, Chriſtophorus Criſolius exul Senenſis Tuderti & in Urbe veteri principatum tenere videbantur, & ſpe & metu tentati ſunt. Verum cum intelligeret Laurentius magis curae eſſe Aragoniis, quemadmodum injurias Neapolitanorum Regulorum perſequerentur, quam quemadmodum negotium faceſſerent Pontifici, in quem ipſe optime animatus erat & propter privatas familiae, & propter publicas civitatis rationes, quamvis ob foederis religionem, beneficiorum magnitudinem, & Italiae bonum cum eo belligerandum putaverit, nihil non egit ad pacem conſtituendam. Id ut aſſequeretur, adhibita eſt ab eo non modo diligentia, ſed

Digitized by Google

etiam ars ut Pontifex ſe unquam Neapolitano Regno potiturum deſperaret, utque ei ſuſpecta eſſet Sanſeverinatis fides, qui profecto arma ſumpſerat, non ut Pontificis utilitati, ſed ut ſuorum commodis fortunaeque ſerviret. Hoc valuit ad commovendum Innocentii animum, qui profecto nihil tam cupiebat, quam reſpirare a metu caedium deflagrationiſque, quam non ſolum Romano agro, ſed ipſi Urbi Alfonſus audax ad quodlibet facinus, ſuperbienſque foederatorum auxiliis, conſiliiſque Laurentii, a quibus totus pendebat, minitari videbatur. Pacis conditiones, quae Romae habita eſt Sext. menſe an. MCCCCLXXXVI. Ferdinandi nomine paciſcente Joviano Pontano, fuere, ut Rex jura Sedis Apoſtolicae in Neapolitanum Regnum agnoſceret, ut Pontifici annuum cenſum perſolveret, utque veniam Regulis, qui conjuravere, civitatibuſque, quae illorum partes ſecutae fuerant, daret. Hac re confecta, Florentini copias ſuas, quas ducebat Nicolaus Urſinius, in agrum Piſanum revocarunt, eo conſilio, ut ad recuperandum Sergianum expeditas haberent. Egerat Pontifex cum Genuenſibus ſuis, num aliqua ratione res ad concordiam deduci poſſet, aliique Principes, maximeque Ludovicus Sfortia (138) in iſtam pacificationem ſe ſe interpoſuerant. Sed obſtinate recuſantibus Genuenſibus, quod per vim ablatum erat, reddere, armis & caſtris dirimenda diſceptatio erat. Laurentius quidem Plumbini & Faven-

Digitized by Google

tiae dominos, Pitiliani Comitem, Joannem Bentivolum, ceteroſque, qui Florentinorum ſtipendia merebant, litteris invitavit ad educendas copias in expeditionem. Studuit etiam ſibi adjungere Neapolitanorum Regem, qui recenti beneficio adeo ſe obſtrictum Laurentio atque Florentinis dicebat, ut iis regnum deberet (139). Omnino nihil praetermiſit Laurentius ad comparanda ea omnia, quae bello uſui eſſe poſſent. Nullo non ſtimulo quoque cives excitabat, multos increpans, quod fortius pro dignitate Reipublicae loquerentur, quam pugnarent. Exercitus imperium dedit Jacobo Guicciardinio & Petro Victorio, qui ad Macram amnem caſtra poſuere. Horum ſtatim virtus & fortuna enituit, cum ad pugnam Genuenſes provocaſſent. Intus tamen oppidanis fortiſſime reſiſtentibus, longius protrahebatur obſidio, quam ſperaverat Laurentius. Quapropter conſilium cepit ad exercitum proficiſcendi, ejuſque adventus ſumma ſpe & voluntate milites complevit. Hi nominatim vocati atque obſecrati tanto ardore oppidum adoriuntur, ut iisdem ad conandum nihil reliqui fore videretur. Hac reperterriti oppidani, cum ſubveniret nullus, & duriora timerent, ſe ſe dedituros oſtendunt. Quod eam praeclaram victoriam ducebat Laurentius, in qua plus eſſet clementiae, quam crudelitatis, incredibili benignitate in deditios ſe ſe geſſit, ſi perpaucos excipias, quos defectionis auctores fuiſſe conſtabat. Atque op-

pidum quidem neque ſoli ubertate, neque commercio, neque incolarum frequentia admodum celebre, quod ex Lunae, urbis olim Etruriae nobilis, reliquiis creviſſe dicitur, non magni momenti exiſtimaſſent Florentini, niſi Reipublicae fines veluti propugnaculum Liguribus oppoſitum ab ea parte tueretur. Variae profecto illis temporibus ejuſdem vices fuerunt. Nam ineunte ſaeculo XV. ſub imperium ceciderat Mediolani Ducis, poſtea ſubjectum Genuenſium Reipublicae, cujus voluntate an. MCCCCXXI. Thomas Fregoſius non ſolum ſummo Reipublicae magiſtratu, ſed etiam patria cedere coactus, ejusdem dominatum obtinuit. Vi expugnatum a Nicolao Picininio, qui ſane multis Italiae provinciis aut vaſtitatem, aut terrorem attulit, virtute civium iterum ad Fregoſios rediit. Hos commendaſſe, ut loquimur, oppidum, aliaque Apuanae provinciae loca Reipublicae Florentinae ſemel iterumque & tertio publica monumenta teſtantur. Demum an. MCCCCLXVII. Florentini triginta ſeptem Florenorum millium pretio coemerunt a Ludovico & Thoma Fregoſiis Sergianum, parvum Sergianum (id arci nomen) & Hortum novum. Quod pacto & ſtipulatione adepti erant oppidanorum atque Genuenſium perfidia amiſerant; & quod Fregoſii pares ſe fore deſperabant Florentinorum potentiae, jura ſua in S. Georgii collegium tranſtulerunt, cujus in poteſtate erat, quando civitas recuperata eſt Florentinorum armis. Hi victo-

ria

ria elati, quod ſibi Genuenſes armis animiſque infeſtos inimicosque ſemper cognoverant, tentare aliis in praeliis belli fortunam optabant. Sed obſtitit Laurentius, vir non tam in adverſa, quam in proſpera, quod difficilius eſt, fortuna conſideratiſſimus: praeſentiebat enim ſi longius ſui victricibus armis progreſſi fuiſſent, eos ipſos Principes, quibus tum fautoribus utebatur, ſe adverſarios habiturum; neque expedire Reipublicae, quae a mercatura, atque ideo a pace maximas ſuas hauriebat opes, novis illam implicari bellis. Poſt haec fuere tempora pacatiſſima, ſi paucos excipias tumultus altercationeſque, quae ad experiendas magis vires Reipublicae, quam ad creandum illi periculum valuere. Falſo nunc multi queri ſolent de noſtrae aetatis fortuna, quod genus humanum imbecille ſorte potius quam virtute regatur; ſicque praeterita tempora recordantur, quaſi cum iis omnia ingenii & animi praeclara facinora penitus effluxerint. Ego vero memoria repetens frequentes rerum imperiorumque mutationes, bella, ſeditiones, privatarum familiarum diſcordias, caedes, exilia, fugas, aliaque hoſtilia, quibus olim genus humanum perpetuo agitabatur, perbeatos nos eſſe puto, quibus ſub humaniſſimis Principibus eum vitae curſum tenere licet, ut vel in negotio ſine periculo, vel in otio cum dignitate eſſe poſſimus. Multa licet molliverint animos noſtros, ſic ut parere nos & ſervire non modo patienti, ſed etiam libenti

Digitized by Google

animo coarguamur, ſorte tamen noſtra contenti erimus, dum adſit vitae bonorumque ſecura poſſeſſio, quam caput eſſe ad beate vivendum nemo profecto negaverit. Reclamitat natura feritati, & agreſti cuidam immanitati, gaudetque juſtitia, humanitate ſuavitateque quadam morum, quae tamen abſit a corruptela. Quo magis homines in vera philoſophia profecerunt, eo vehementius cives a civibus, ſubjectaeque gentes a Principibus communi humanitatis jure exigere coeperunt, ut nihil fieret vel in ipſis criminum reis niſi humaniter, utque illa virtutum omnium domina & regina juſtitia minime ab opinione imperantium, & a potentiorum cupiditatibus, ſicuti antea, penderet, ſed certas & conſtantes regulas ab ipſo omnis juſtitiae ac bonitatis fonte Deo petitas haberet. Hinc rariora eſſe coeperunt bella, quae ſola neceſſitas conflare videtur, inauditae pene ſeditiones, vaſtationeſque; omnemque illam crudelitatem, quae nulla calamitate inimicorum ſatiari poterat, non modo oculis cernere, ſed recordari animo perhorreſcimus, & heroum nomine indignos arbitramur, qui ſanguinem noſtrum ſitiunt, & in fortunas alterius invadunt. Niſi iis temporibus, de quibus ſcribimus, tot vitiorum tanta immanitas quibusdam virtutum radicibus niti viſa fuiſſet, illorum memoriam, facta, mores aſperius deteſtarer, & vituperatione dignum Laurentium putarem, quod contemtus privata gloria minime ſe a publicis negotiis remo-

verit, quando in tot mala neceſſe erat incurrere. Sed ei erat perſuaſum in tanta morum corruptela, tantaque invidiae flamma ampliſſimas, quas a majoribus acceperat, fortunas haud conſervari a ſe poſſe, niſi primas in Republica tenuiſſet (140); praeter quam quod amor patriae, ejuſque providentia poſtulare ab eo videbantur, ut ſaltem levaret mala, quae ſanari omnino non poterant; quapropter & publicae & privatae familiarum tranquillitati, quantum fieri potuit, ſemper conſuluit. Cujus rei domeſticum etiam exemplum poſſum proferre. Acerrimis odiis diſſidebant inter ſe majores mei, Mareſcottii & Ubaldinii, quae potentiſſimae erant familiae in Aemilia, a quibus & praeſertim a Fabroniis ſaepe Medicei habuerunt armatorum auxilia (141). Hos ſemel iterumque ad ſe convocavit Laurentius aut pacificator, aut pro Fabroniis ſponſor (142), quod commemoraſſe ſi leve quibusdam videbitur, hoc ignoſcatur volo domeſticarum laudum, quo omnes tenemur, ſtudio. Poſſem & alia hujuſmodi multa ex privatis familiarum hiſtoriis ſumpta hoc loco afferre, ex quibus quantum pacis amans eſſet Laurentius apparet; ſed modus adhibendus eſt, praeſertim cum tota ejusdem vita in iis parandis tuendiſque, quae ad concordiam domi foriſque conſtituendam, paciſque artes colendas valerent, occupata fuiſſe videatur. Atque ex his artibus propter commoda atque ornamenta, quae afferunt, quod illae, quae ad graphicen pertinent, li-

bera & pacata Republica maxime dignae putentur, magna ſane ad earum amplitudinem dignitatemque contulit Laurentius; in quibus commemorandis non verebatur ſuspicionem inanis oſtentationis, cum omnes in illo elogio conſentirent, per illum easdem artes ad novam quodammodo vitam fuiſſe revocatas. Quaeri illud ſolet a nonnullis, num ad has artes provehendas conducant magis turbulenta, quam tranquilla tempora. Si Graeciam ſpectemus (quid ni ſpectanda, cum ab ea quod ſummum & perfectum eſt in easdem artes dimanaverit?) floruit ipſa magnis artificibus eo tempore, quo Themiſtocles & poſt eum Pericles cuncta miſcuere, ut ferociores redderent Athenienſes, qui quidem duabus victoriis Marathonia & Salaminia tantam gloriam apud omnes gentes ſunt conſecuti, ut terrorem non modo univerſae Graeciae, ſed etiam Aſiae intulerint. In tanta converſione ac perturbatione publicarum rerum, quibus accedebant domeſticae ac crudeliſſimae diſſenſiones, animi quoque artificum incaluere, ſeque glorioſa aemulatione mutuo excitarunt, ut non minus eorum praeſtantia in ſtatuis ac pictis tabulis elaborandis, quam ſummorum Ducum virtus in debellandis populis clara & inſignis poſteris eſſet. Inter arma igitur & diſcordias prodiere Phidias, Polycletus, Alcamenes, Scopas, Pythagoras & Cteſilaus; Parrhaſius & Zeuxis, & qui hos conſecuti ſunt, Polyclem, Cephiſſodotum, Leocharem, Lyſippum ipſoſque

Praxitelem & Apellem, qui longe ceteris ſculptoribus & pictoribus excellere ob venuſtatem exiſtimantur, teſtes & ſpectatores fortuna conſtituit bellorum, quibus aut Thebani, aut Lacaedemones, aut Reges Perſarum & Macedonum Graeciam crudeliſſime vexarunt. Nihilo tamen minus caſtris & armis nobiliſſimas artes gaudere haud affimaverim, quin immo pacis comites otiique ſocias illas eſſe contendam, quod ii ipſi, quos nominavi, artifices Graeciam nobiliſſimis operibus exornarunt, quando ipsa paullulum reſpirabat a metu caedium, emergebatque a fluctibus ſervitutis. Quod quidem reſpexiſſe Ariſtophanem arbitror, ubi de Phidia dixit (143) non ſatis intelligi, quantum cum pace ipſe conjunctus eſſet. Si conferre igitur noſtra cum Graecis volumus, quis non videt neceſſe fuiſſe ea accidere Reipublicae Florentinorum, quae ad removendum ab animis languorem deſidiamque valuere, ſic ut cum in otium ii veniebant, jam motu quodam tanquam vento eſſent agitati, quo ad praeclara ſuſcipienda perficiendaque ferrentur? Laurentium ipſum, niſi pacatos ſibi vidiſſet inimicos, & niſi Reſpublica liberata fuiſſet armorum metu ac periculo, minime cura attigiſſet de inſtituenda in ipſis aedibus hortiſque ſuis officina nobiliſſimarum artium, ad quam multi ex diverſis locis confluerent. Collegit in ea magnum numerum antiquorum ſignorum, quod ei perſuaſum erat, illos, qui haec intuerentur, atque ea ſibi propo-

nerent tanquam exemplar, praeclara opera effecturos. Nullus enim tum putabat, illa, quae quaerebat ad venuſtatem, haud poſſe omnia in natura reperiri, ideo quod nihil ſimplici in genere omni ex parte perfectum natura ipſa expolivit; quapropter admonendi erant ſtudioſi, ingenio atque arte ſingulari effeciſſe Graecos artifices (quanquam nonnulli arbitrentur facilius id conjici poſſe, quam quantum ex monumentis, quae ad nos pervenerunt, intelligi liceat) ut eſſet quoddam genus pulchritudinis ex multis formis & exemplis ita collectum, ut omnes partes cum quodam lepore inter ſe conſentiant, quod pulchrum *ideale* dicere ſolemus, propterea quia mentis magis, quam naturae opus eſſe videatur. Sed quia in omnibus rebus difficilis & tarda eſt optimi perfectio atque abſolutio, ſemina quidem ſparsit Laurentius, quae profuere alteri ſaeculo; nam artifices, quos ipſe aluit, nulloque non ſtimulo concitavit, granditatis profecto cujusdam exempla dederunt, ſed quae a venuſtate non parum abeſſet. Ipsi illi Michaeli Angelo Bonarrotio, cujus, cum ad Laurentium pene puer veniſſet, divinavit ſtatim ille quodnam curriculum habitura eſſet & natura admirabilis & ſingularis induſtria, omnium prope conſenſu defuit venus illa, quam Graeci *Charita*, ut ait Plinius (144), vocabant. Sed hujus aliorumque inventa mirum in modum ceteris profuere in arte. Relicta enim eſt jejunitas & ſiccitas & inopia illa, in

Digitized by Google

qua incunabula ejuſdem artis agnoveris; & quod docendi erant homines, ut ab hac declinarent, magna nimis granditas, & ſi vis etiam licentia invecta eſt, cum non ſatis intelligerent ii, qui hanc ſequebantur, in omni re videndum quatenus, & si in alterum peccandum ſit, magis offendere animos nimium quam parum. Ex multis, quibus curae Laurentii profuere, quique inter ceteros excelluiſſe viſi ſunt, nominantur a Georgio Vaſario (145) praeter Bonarrotium ipſum, Joannes Franciſcus Ruſticus, Torrigianus Torrigianius, Franciſcus Granaccius, Nicolaus Soggius, Laurentius Credius, Julianus Bugiardinius, Bartholomaeus e Monte Lupo, & Andreas Contuccius e Monte S. Savini. Addit Vaſarius ipſe magnopere ſtuduiſſe Laurentium, ut nobiles adoleſcentes, quibus plerumque ſumma induſtria videbatur jurgia, diſcordias, ſimultates exercere, perinde quaſi injuriam facere, non modeſtiae parcere, aut ignavia torpeſcere, id eſſet nobilitati ſervire, hortos ſuos frequentarent, animumque occupatum haberent in nobiliſſimis exercitationibus. Dolet vero ſcriptor ille tot induſtriae ſubſidia atque inſtrumenta, quae incredibili ſumptu uno in loco congregaverat Laurentius ad animum oculosque accendendos, in illa fatali Mediceae familiae fortuna ob adventum in Etruriam Caroli VIII. Gallorum Regis, factis licitationibus, miſere diſperſa fuiſſe. Ceterum Laurentius non per ſe ipſum modo, ſed

& per plures antiquitatis conſultiſſimos viros vetera monumenta conquirebat, & quovis pretio comparabat, narrabatque ſe omnibus laetitiis laetum fuiſſe, quando a Hieronymo Roſcio Piſtorienſi diu deſideratam & quaeſitam Platonis imaginem obtinuit, quae in ipsis Academiae ruinis inventa fuiſſe dicitur. Et malebat Platonicorum ſtudioſiſſimus ab ore Ficini pendens in illa ſua ſedecula ſub imagine philosophorum principis ſedere, quam pallio purpureo indutus tunicaque talari prima Senatus ſubſellia occupare, ac leges & conſilia populo Florentino dare. Narrat Valorius ſe Divae Fauſtinae & Cornelii Scipionis marmoreas effigies Neapoli ad illum miſiſſe, praeter alia ſimulacra minora ex aere, quae populi Romani nomen illuſtrabant, eaque tanquam theſauros aliquos admirabiliter eumdem accepiſſe. Maxime autem fuit illuſtre donum architecti Juliani Sangallii, qui juſſu Laurentii ad Calabriae Ducem venerat regias aedes aedificaturus Neapoli prope arcem novam. Nam munera pecuniae, argenti, veſtium, equorum cum ei obtuliſſet Dux, reſpuit illa Julianus, quod ſibi pro omni fama fortunisque eſſe diceret patrocinium & benevolentiam Laurentii; quapropter ſe non modo magnae mercedis, ſed etiam beneficii loco habiturum, ſi a Duce varia antiquitatis monumenta obtinuiſſet, quae ad illum deferret. Tum exaggeravit extulitque amorem ſingularem Laurentii in bonas artes, ut ii artifices beatiſſimi

cenſeri

cenſeri deberent, quo apud eum commorarentur. Dux quidem magnitudine animi ſe vinci haud paſſus eſt, locupletatumque ſtatuis, hermis, aliiſque hujuſmodi rebus Sangallium ab ſe dimiſit. Eo ſpectabant etiam ſtudia Laurentii, ut undique colligeret veteres inſcriptiones, & illas praeſertim, quae verſibus comprehenſae erant, quas in volumen referebat; nec quicquam habuit antiquius, quam ut Joannem Jucundum Veronenſem incitaret ad hujuſmodi antiquitatis reliquias, quae tum neſcio quo miſero litterarum fato negligebantur, conquirendas, deque iis opus conficiendum. Opus ipſum, in quod, teſte Panvinio (146), duo uſque millia inſcriptionum referebantur, Laurentio nuncupatur, eique laudi datur, quod hiſce rebus in primis delectaretur, omniaque ſigna, tabulas pictas, omne caelatum argentum, aurum, gemmas coemeret, iiſque domum ſuam ſic ornaret, ut haec non domino magis, quam civitati eſſet ornamento. Adeo antiquitatis erat ſtudioſus Laurentius, ut hanc in ipſis aedificiis apparere vellet; quapropter eos architectos coarguebat, quibus aurea Vitruvii praecepta fuiſſent incognita. Graviter quoque querebatur, & quidem jure, poſtquam Philippus Bruneleſchius non ſolum veteres architectos imitatus fuiſſet, ſed etiam ſuperaſſet, exaedificato majoris templi Florentini tholo, quo nihil magnificentius ac mirabilius fieri potuerat, non multum additum ad elegantiam & venuſtatem fuiſſe, quaſi haec

in operoſis artibus magniſque aedificiis locum habere non poſſet. Proponebat exemplum Simeonis Cronacae, qui in adornandis Stroctianis aedibus genus coronae adhibuit, quod quamvis Romanorum magnificentiam imitetur, ita tamen conveniens, aptumque univerſo aedificio, ita elegans eſt, ut famam ei confecerit ſummi architecti. Amabat in Leone Baptiſta Alberto copiam quamdam, quamvis in hac laude minime cum Bruneleſchio poſſet aequari, ſed ſaepe deſiderabat in eo elegantiam, & illud verum & ſimplex bonum, cujus ratio ſemper reddi poſſit ab ipſa natura petita, quae nunquam non conſulenda eſt, licet varia & multiformia ſint aedificiorum & ornamentorum genera. *Novitates*, ajebat ille, *ſi cum prudenti ratione fiant, non ſunt repudiandae, vetuſtas tamen ſuo loco conſervanda eſt, quod fines quosdam conſtituiſſe videtur, extra quos rectum raro poteſt conſiſtere*. Uſque eo moroſus erat Laurentius, ut non ſatisfacturus illi fuiſſet Bonarrotius ipſe, ſi vidiſſet ea, quae hic ad ornandum Laurentianae Bibliothecae veſtibulum excogitavit, adeo novitatis & licentiae amor vel ſumma ſaepe ingenia abripit. Quia vero Laurentius crebris uſurpare ſolebat ſermonibus, dolendum maxime, quod architecturae ſtudioſi carerent libro, qui traderet rationes certas & praecepta aedificandi, Albertus, qui profecto prudentia magis, quam uſu valebat (147), opus hujuſmodi ſcribendum ſuſcepit. Pene ad umbilicum illud perduxerat,

cum ille e vita ceſſit, quare Leonis frater per Angelum Politianum Mecaenati ampliſſimo librum & ſe ipſum obtulit (148). Studia Laurentii in architecturam facile a multis obtinuerunt, ut ampliſſimis aedificiis urbem exornarent; nam vere dictum a Platone: tales cives fore qualis eſt eorum princeps. Interdum ipſe conſulebatur de modulo; & cum illo ſane egit Philippus Stroctius de ſuis magnificentiſſimis aedificandis aedibus, quae quod plus ſumptus, quam ſalis habeant in ea praeſertim parte, quae inferior eſt, cujus architectus fuit Benedictus e Majano, declarant non omnia ex Laurentii conſilio geſta fuiſſe. Notam abſentibus quoque ejus in architectura prudentiam fuiſſe, ex eo conjici poteſt, quod Ferdinandus Neapolitanorum Rex de Regia aedificanda cogitans, ejus formam a Laurentio poſtulavit, quodque ob hanc eamdem cauſſam ejus judicium exquiſivit Dux Mediolanenſium. Ipſe vero nihil tam irridebat, quam malorum aedificiorum dominos, qui gloriabantur ſe architectos non habuiſſe: ajebat enim magno pretio illos emere poenitentiam. In ſuis aedibus nihil commutavit, niſi ſiquid vetuſtate coactus eſt. Idem nonnullas a fundamentis excitavit. Ex his memorantur praeſertim, quas Julianus Sangallius architectatus eſt, Cajanum, atque Collis Imperialis, qui locus haud longe abeſt a Pogibontio, ubi non aedes modo amplas & munitiſſimas, ſed & civitatem in animo erat Laurentio ae-

diſicare, ut invidiam & metum faceret Senenſibus. Florentiolam operibus munitionibuſque ſepſit, & alias arces, quae in finibus erant Etruriae, reſtaurandas curavit. Extruxit nobile & magnificum coenobium Auguſtinianorum prope Portam Florentinam S. Galli, unde & coenobio ipſi & Architecto nomen inditum fuit. Viam in urbe fecit, quae ab illius nomine *Laura* appellata fuit. Habebat in animo ſic ornare Laurentianam Baſilicam per ejus avum magnificentiſſime exaedificatam, ut templi dignitas & familiae nomen deſiderabat. Et multum quidem pecuniae eam in rem impendit; utque omnes intelligerent domeſticis praeclariſſimae virtutis exemplis ſe gaudere, ſi quid imperfectum a Coſmo relictum fuit in ſacrarum aedium conſtructione, ita abſolvendum curavit, ut ſua ſimul cum avi memoria conſecraretur. Extant litterae Matthaei Boſſii docti & eloquentis viri, quibus eum pluribus verbis rogat, ut operam, curam & pecuniam ad perficiendum Faeſulanum templum S. Bartholomaei conſerat: quibus ille reſpondens pene ſibi injuriam factam amice queſtus eſt, quod ea de re beneficii loco rogaretur, quam religioni & majorum caritati ſe debere affirmabat. Neque magnificentiam ſuam intra unius Etruriae fines continuit. Nam imitatus Coſmum ipſum Aſſiſii (149) atque alibi religionis cauſſa aut vias ſtravit, aut fontes aperuit, aut aedificia ornavit. Ipſa munera, quae magnis Principibus mittebat, ejus

in omni re exquiſitiſſimum judicium declarabant. Dono dedit Matthiae Corvino Hungariae Regi Alexandri & Darii imagines per Andream Verrocchium magni nominis ſculptorem elaboratas; Lucae Signorellii, qui in nudis hominibus pingendis praeſtabat, tabulas quaſdam Galeatio Sfortiae donavit; Sixto IV. Pontifici Maximo, quamvis hic non opere delectaretur, ſed pondere, argenta quaedam plena artis per Laurentium Ghibertum caelata obtulit, effecitque, ut vel Gallis nota eſſent teſſellata opera Dominici Grillandaii: quod autem hic inter ſuae aetatis pictores excellere putabatur, digniſſima dona habebantur tabulae ab eo vel uno abſolutae die. Pro debellatis Volaterranis praemium dedit Urbinatium Comiti galeam argenteam miro artificio ab Antonio Pullario caelatam, cujus artificis ſummum ingenium ſemper exercuit non modo in arte argentaria, ſed etiam in tabulis pingendis, & in numiſmatibus cudendis; ex quibus inſigne eſt, quod ipſe artifex manu trepida ac trementi caelatum ab ſe dictitabat, Pactianae conjurationis, in quo cum alia praeclara, tum praeſertim nudorum corporum delineatio laudari ſolet. Horum aliorumque ſummorum artificum gloriam magno ſibi ornamento eſſe exiſtimabat Laurentius; quapropter propenſus ſemper erat ad benemerendum de iis qua beneficiis, qua honoribus; nec mediocre illis erat laborum incitamentum, quod frequentans Laurentius eorum officinas, oculis erudi-

Digitized by Google

tiſſimis cognoſceret, animadverteretque ſiquid in eorum operibus eſſet corrigendum. Ferebat etiam eximia patientia moroſitatem quorumdam (150), non quod iraſci neſciret, ſed quod excellentium hominum virtutem nunquam non honorandam putaret. Ea propter vel in mortuos extare volebat monumenta exiſtimationis ſuae, ut acrius ejus exemplis poſteri inflammati ad praeclara ſuſcipienda perficiendaque raperentur. Cum a Spoletinis minime obtinuiſſet cineres Philippi Lippii, cujus perpaucos pares in pingendi elegantia civitas Florentina tulerat, ſepulcrum ei in majori Spoletina eccleſia faciendum curavit, in quo ab Angelo Politiano hoc inſcriptum fuit epigramma.

Conditus hic ego ſum picturae fama Philippus
Nulli ignota meae eſt gratia mira manus.
Artifices potui digitis animare colores,
Sperataque animos fallere voce diu.
Ipſa meis ſtupuit natura expreſſa figuris,
Meque ſuis faſſa eſt artibus eſſe parem.
Marmoreo tumulo Medices Laurentius hic me
Condidit: ante humili pulvere tectus eram.

Intelligebat profecto Laurentius, ſi quis in aliqua arte, in qua aut animi voluptas, aut utilitas quaeritur, quaedam nova attulerit, vel meliora fecerit, hunc veluti bonum civem nullo non honore afficiendum eſ-

ſe; quapropter non modo liberalium artium cultores, ſed & fabros lignarios, ferrarios, horologiorum (151), inſtrumentorumque muſicorum (152) fabricatores, & hujuſmodi artifices multos ſingularibus beneficiis ſingularique benevolentia proſequebatur. Sunt in artibus minoribus opera quaedam, ex quibus conjici poteſt, qui fuerit ſtatus majorum; & quidem ex ferreis lampadibus, quae angulos ornant aedium Stroctianarum (opus elegantiſſimum Nicolai Groſſii, cui Laurentius nomen *arrae* dederat, propterea quia ſine praeſenti pecunia nihil operabatur) judicabis quantum iis temporibus graphice excoleretur. Ex honore vero, qui huic habebatur, facile eſt colligere quanto in pretio eſſent litterae & humanitas, quod hae artes habeant quoddam commune vinculum, & quaſi cognatione quadam inter ſe contineantur. Nulla igitur non laude extollendus eſt Laurentius, qui nihil humile & abjectum putavit, in quo exquiſiti judicii atque ingenii indicia quaedam apparerent, quare fecit ut vere a Marſilio Ficino dictum de hiſce temporibus videatur, aurea appellanda, quibus Medicei liberales diſciplinas ferme jam extinctas *ad lucem reduxere*, *grammaticam*, *poeſin*, *oratoriam*, *picturam*, *ſculpturam*, *architecturam*, *muſicam antiquam*, *ad Orphicam lyram cantum*, *idque Florentiae* (153). Sed ut ad majora veniamus, quia nihil ipſe agebat, in quo inſignes notas magnifici & excelſi animi non agnoſcas, ut inſtrumenta ad

ingenium excolendum civibus ſuis magis magiſque ſuppeditaret, miſit in Graeciam, in Aſiam, & in multas Europae partes homines doctos, qui compararent manu ſcriptos codices Graecos atque Latinos. In iis fuit Joannes Laſcares vir magnus, ſummoque in Graecia loco natus, qui de hoc Laurentii ſtudio in epiſtola, qua Petro Medici ejus filio Anthologiam Graecorum epigrammatum nuncupavit, admirabiliter loquitur. Ait enim inter cetera ipſum *ducenta antiquorum uſque volumina ex Graecia & finitimis regionibus collecta Florentiam magna diligentia & ſumptibus transferenda curaſſe, atque inter ea non minus quam octoginta opera, illa tempeſtate incognita, nonnulla etiam, quorum vel auctorum nomen ignorabatur, jamdiu neglecta.... ab interitu ſuo recuperata fuiſſe.* Sane non mediocri copia librorum poterat eſſe contentus Laurentius, qui volebat, ut ceteri in ſua pecunia condiſcerent, qui optimus pecuniae fructus eſſet; quare illa praeclara vox ejusdem merito extollitur, laetari ſe tanta ab Politiano ac Mirandula praeſertim ad libros emendos ſibi dari incitamenta, ut tandem, deficientibus ſumptibus, totam ſupellectilem oppignerare cogeretur (154). Ea propter, ut ex Politiani ipſius litteris intelligi poteſt, librarios Venetiis, Romae, Neapoli, atque alibi habebat, quibus hoc unum curae erat, ut celebriores manu ſcriptos codices exſciberent, mirifice faventibus earum civitatum Principibus. Neque me-

mediocres erant mercedes operae. Nam Joanni Roſſio Cretenſi, quo & librario in primis uſus fuerat Beſſarion Cardinalis, pro exſcriptis S. Auguſtini operibus D. uſque florena exſoluta fuiſſe invenio. Adjuvabatur etiam Laurentius ad manu ſcriptos comparandos codices a Hieronymo Donato, ab Hermolao Barbaro, hominibus doctrina & nobilitate praecellentiſſimis, a Pomponio Laeto, viro non tam eruditione quam caſibus illuſtri, a Paullo Corteſio & ab Andronico Theſſalonicenſi, de cujus bibliotheca emenda, cum Italiam ipſe reliquiſſet, ſtudioſe ſane egit cum Jo. Franciſco a Turre (155). Ad officium quoque ſuum pertinere arbitrabatur Laurentius id curare, ut Petrus filius non ſolum diligens eſſet cuſtos tot illuſtrium monumentorum, ſed etiam ut ipſe in iisdem ſtudiis pro parte ſua verſaretur, quod cognationem ſtudiorum & artium non minus eſſe conjunctam diceret, quam illa, qua filius gloriae cupidus tantopere delectabatur, generis & nominis. Porro ipſos venaticos canes dixiſſes, ita odorabantur omnia & pervestigabant, ut ubi quidque rarum eſſet, aliqua ratione invenirent atque compararent. Res, quae jam non eſſet obſcura, ipſius Petri teſtimonio confirmabitur, qui aegro patri, eaque de cauſſa ad thermas S. Philippi in Senenſium agro commoranti nullum majus ſe afferre poſſe ſolatium arbitrabatur, quam ſi ei declaraſſet quanta diligentia & intelligentia eſſet in comparandis codicibus (156).

V

Qui quidem, ut poſteris quaſi monumenta religioſa viderentur, Dominicanis S. Marci, ut appellant, hominibus magna ex parte concrediti fuere (157). Studium, quod contulit Laurentius ad manu ſcriptos comparandos codices, multorum aemulationem excitavit, fuitque inter eos magnus ille Pannoniae Rex Matthias Corvinus, qui gloriam partam rei militaris peritia, magnitudine animi & felicitate rerum geſtarum, quibus omnes aetatis ſuae Reges ſuperavit, & par fuit veteribus Imperatoribus, augere atque amplificare patrocinio litterarum curavit. Ille itaque an. MCCCCLXXXVIII. Florentiam miſit Thaddaeum Ugoletum, cujus & Bartholomaei Fontii diligentia & Laurentii liberalitate factum eſt, ut, multis hinc deſcriptis voluminibus, illius deſiderium expleretur. Nihil vero malebat Laurentius, quam tanti Regis gratiam aucupari, & ſimilibus remunerari muneribus. Ex Italis vero maxime aemulatus eſt Laurentii gloriam Fridericus Urbinatium Dux, quod ii *duo eſſent*, ut ait Politianus (158) *qui auſi in tantis ſaeculi tenebris lucem ſperare, quaſique contra torrentem peſſimorum morum brachia dirigere, & librorum pulcherrimam ſupellectilem ſibi compararunt, & doctos juverunt, & ipſi ſtudia tractarunt*. Atque ut intelligere homines poſſent tot inſtrumenta doctrinae non ad unius familiae decus atque ornamentum ſe collegiſſe, ſed etiam publicae omnium utilitati ſe conſecraſſe, neminem aditu bibliothecae

ſuae Laurentius prohibebat; neque minor illi cura erat, ut de theſauris ſuis aliquid ſemper in lucem per viros doctos proferretur. Innumera ſunt quae unus Politianus eidem bibliothecae praefectus inſtituit, quaeque politius limaſſet ac perfeciſſet, ſi ei diutius vivere contigiſſet. Perveniſſe enim videbatur, quoad progredi poterat ſingularis hominis ingenium atque induſtria. Graecos Latinosque codices diurna nocturnaque manu verſabat, plures inter ſe conferebat, mutilos ſupplebat, corruptos emendabat, & ſi quid inter legendum, quo pollebat ingenii acumine atque eruditione, animadvertiſſet, enarrationes (quas *notas* alieno ineptoque vocabulo appellant) contexebat. Itaque ii, qui aliquid de his rebus judicare poſſunt, grammatici & vel ſeveriores critici magno in pretio habere ſolent hujuſmodi Politiani ſcripta, eademque ſummo viro Petro Victorio adeo probata fuerunt, ut magno ſibi adjumento fuiſſe affirmet in quibusdam corrigendis illuſtrandisque veteribus auctoribus (159). Hortatu Laurentii maxime laboravit Politianus in emendandis, quae ad nos pervenerunt, ſcriptis Columellae, Catonis, Varronis & Palladii, quod illa Latinam linguam atque agriculturam maxime juvare poſſe intelligebat. Vixque aliquid hujusmodi e manibus deponebat, cum aderat ſtatim impulſor Laurentius, ut hanc artem emendatricem veterum codicum non modo per illum auctam, ſed

V 2

Digitized by Google

etiam pene procreatam (nam quod alii hac in re antea praeſtiterant, ſi Laurentium Vallam & Domitium Calderinium excipias, erat hujusmodi, ut non dubitaſſes eos inertiae & prorſus inſcitiae condemnare) magis atque magis ornaret. Fuit autem majorum vigiliarum munus Herodiani Latina interpretatio, quam in Innocentii VIII. nomine apparere voluit Laurentius. In hac homo Graecis Latinisque litteris eruditiſſimus eas ſibi ſumpſit partes, *uti omnia ex fide reſponderent, ne inepta peregrinitas, ne Graeculae uſquam figurae, niſi ſi quae jam pro receptis habentur, Latinam quaſi polluerent caſtitatem, ut eadem propemodum eſset linguae utriuſque perſpicuitas, eaedemque munditiae, idem utrobique ſenſus, atque indoles, nulla vocum moroſitas, nulla anxietas*. Num quod ſibi propoſuerat Politianus revera praeſtiterit, diſputant eruditi (160), qui tamen omnes in eo conſentire videntur, ipſum Latinae magis quam Graecae linguae ſtudioſis ſatisfeciſſe. Poſt id ad Epictetum ſe convertit, quod hunc unum librum eſſe putaret, *qui & naturae Laurentii ad magna quaedam ſemper atque ardua excitatae, & iis tam duris temporibus, quibus illum undique fortuna exercendum accepit, maxime omnium conveniret*. In hac interpretatione cum diligentius examinaſſet verborum omnium pondera, & voces pene adnumeraſſet, Latinae linguae concinnitatem & aptae verborum collocationis venuſtatem viſus eſt contempſiſſe. Nam ei erat

perſuaſum in vertendis ſcriptoribus, qui rerum non verborum gratia expetuntur, probari debere illos interpretes, qui ejus linguae, ex qua verterint, peritos, ejus, in quam verterint, non imperitos ſe ſe oſtendunt. Rogatu Laurentii quaedam etiam Platonis Latina fecit, & donum ei gratiſſimum fore putavit Dialogum de temperantia, qui *Charmides* inſcribitur, non reverens, quod miror, aſſentandi ſuſpicionem, cum affirmaret nullis unquam voluptatum illecebris delinitum illum fuiſſe. Quid ſingula commemorem, quae Politianus Laurentii poſtulationibus conceſſit, cui morem gerere in omnibus ſe velle, ſeque ei nihil non debere tertio quoque verbo profitebatur? Praetereo etiam illa, quae inter ipſos familiariſſime dicta, ſcripta, communicata ſunt, cum vel ipſae deambulationes plenae litteratorum ſermonum eſſent, & vel in equitationibus, ut Politianus ipſe ſcripſit in Praefatione *Miſcellaneorum*, origo & occaſio magnorum operum inveniretur. Neque in majorum rerum occupationibus ſilere Laurentius ſinebat Muſas Politiani, aliquid ſemper ab eo eliciens, quod vel agreſtiorum animos delinire poſſe ajebat. Miror vero Laurentium eximium Italicarum Muſarum cultorem minime ad has revocaſſe Politianum, quas adeo propitias olim expertus fuerat, ut his paullulum invidiſſe Latinae viſae fuerint. Et ſane has poſtquam Mediceum illud nobile certamen celebravit, aut ſubiratas, aut certe duriores vel in ipſa

Manto, *Ambra* & *Ruſtico* invenit. Quidni iraſcamur Poetae, qui cum ceterorum animos facile molliret, minime a ſe obtinere poſſet manſuetudinem morum atque facilitatem? Quapropter haud eſt mirandum ſi poſtquam jamdiu tentaſſet patientiam Claricis Mediceae, adeo in ſe concitaverit iram illius, ut ab ea domo fuerit expulſus (161), multosque habuerit non ſolum ſtudiorum ſuorum, ſed etiam vitae obtrectatores. Ipſe ſingularis amor, quo illum proſequebatur Laurentius, concitabat aut invidiam, aut odium; & quae interdum ab eo mandata habebat de corrigendis alienis ſcriptis, ut accidit in iis, quae Bartholomaeus Scala vir oratione atque moribus durus Reipublicae Florentinae nomine exaravit, cauſſam majorum offenſionum dabant. Tum quidem Laurentius aut diſſenſiones naſcentes extinguere, aut honore ac beneficiis homines doctos a furore revocare ſumme ſtudebat; & certe efficiebat, ut quoties coram ſe eſſent, mirabilis quidam omnium conſenſus, & quaſi concentus eſſe videretur ad bonas artes provehendas. Hinc uno eodemque tempore fovebat alios philoſophica praecepta tum voce, tum editis voluminibus explicantes, alios egregiam Graecis auctoribus navantes operam, alios de Graecorum Romanorumque numiſmatis, de veteribus inſcriptionibus, de omni antiquitate eruditiſſime diſſerentes ſcribenteſque, quosdam Etruſcam linguam ſedulo locupletantes, & voca-

Digitized by Google

bulorum pollinem tanquam a furfure ſecernentes, quosdam Petrarchae charites veluti poſtliminio revocantes, alios juris conſultos, medicos, chirurgos, architectonas, pictores, ſtatuarios, muſicos, oratores, poetas, &, quod mireris, non ſolum philoſophos, ſed & vel illos, qui theologiae operam dabant, deque divinis rebus Scholaſticorum more commentabantur. Interdum his quaeſtiones difficillimas ponebat, exercebatque praeſertim in hujusmodi rebus Georgium Benignum, quem in theologica ſcientia parem habere neminem arbitrabatur (162). Neque minus colebat eos, qui omnem virtutis laudem in actione ponebant, quapropter ei in amore ac deliciis erat Marianus Genezanenſis Auguſtinianus homo, qui, ut Politiani verbis utar, *nulli erat in theologia ſecundus, & omnium, qui in Eccleſia concionabantur, non prudentiſſimus modo, ſed & facundiſſimus, cujus neque ſuſpecta populis ad bonam frugem tendentibus eloquentia, quoniam vitae incredibili ſeveritate commendabatur, nec e diverſo triſtis aut reformidabilis auſteritatis, quoniam poetica delenimenta, pulchramque litterarum varietatem, nitorem, delicias non aſpernabatur* (163). Tribuit quoque plurimum Laurentius Matthaeo Boſſio, quo ſane nemo erat integrior & ſanctior, obtinuitque ab eo dialogum *de veris ac ſalutaribus animi gaudiis*, quem ad conſolandam brevitatem miſeriamque vitae, frenandamque voluptatem maxime conducere exiſtimavit. Sed nemo iis temporibus con-

Digitized by Google

ſecutus eſt majorem celebritatem ſermonis hominum, quam Hieronymus Savonarola, homo non Chriſtiana manſuetudine, ut ille, ſed ipſa triſtitia ac ſeveritate popularis, cujus actiones adeo conjunctae fuerunt cum univerſae Laurentii familiae fortuna, ut de eo paullo copioſius dicendum putem. Natus ille honeſto loco Ferrariae in Dominicanorum diſciplinam puer eſt traditus, in qua ex inſtituto familiae litterarum ſtudiis operam dedit, ea quidem contentione peracris ingenii, ut brevi magnos in omni fere eruditionis genere progreſſus fecerit. Et cum rerum cognitioni, ſacrarumque litterarum ſcientiae magnam dicendi facultatem adjeciſſet, conciones de religione ad populum ſaepe habens, tanto majus eſt nomen exiſtimationemque conſecutus, quanto magis ſe a contagione humanarum cupiditatum abduxiſſe, & modeſtiam ſanctitatemque doctoris hominum induiſſe videbatur. Hujus fama permotus Laurentius, & quod ejus audiendi cupiditate flagrabat, & quod virtuti honorem ſemper tribuendum putavit, ipſum Florentiam an. MCCCCLXXXIX. accivit. Quanquam in diſponendis, componendisque rebus nullam diligentiam adhiberet Savonarola, & munditiam & elegantiam orationis negligeret, neque eſſet in eo vocis ſplendor, & actionis dignitas, opportuna tamen frontis percuſſio, & pedum ſupploſio, argumenta ex reipublicae malis, & ex temporum conditione & moribus arrepta, acutae crebraeque ſententiae, harum

rum lumina, quae Graeco vocabulo σχήματα appellantur, plena animi & terroris oratio, ut non minus vehemens orator, quam bellator eſſe videretur, tantam admirabilitatem, tantosque motus faciebant, ut non modo ex univerſa urbe, ſed etiam ex vicinis oppidis & agris ad eum audiendum concurreretur. Quod fortaſſe Laurentius verebatur, ne nova iſthaec quaſi de musto atque lacu fervida oratio civitatem miſceret, nullo non ſtudio, & vel ipſis muneribus, & principum hominum ſuaſionibus (164) popularis hominis animum ſibi conciliandum, atque ad uſus ſuos adjungendum putavit. Sed quamvis eas artes omnes adhibuerit, quibus illius aut arrogantia, aut ſuperbia, aut ſi vis etiam religioſa auſteritas capi & deliniri poſſe videbatur, nihil tamen obtinuit. Praefectus Savonarola S. Marci coenobio (Priorem vocant) palam profitebatur ſe nunquam, ut mos erat omnibus hujusmodi munera ſuſcipientibus, ad Laurentium venturum: quando vero hic ad coenobium ipſum accedebat vel religionis, vel animi cauſſa deambulaturus in ejusdem hortis, de induſtria ſe ſe occultabat Prior, vocantibusque collegis reſpondebat ſe humana deſpicere, & niſi cum Deo rationem ſe nolle habere. Quae cum nonnulli indignarentur, increpebant Laurentium, quod iis temporibus, quibus omnium oculi, quoties in publicum prodibat, erant ad illum converſi, neque ei par quiſquam in civitate ponebatur, dignitatem ſuam

Digitized by Google

contemni ac fere illudi a cucullato homine diutius pateretur. Sed ille exiſtimationis bonae fructum eſſe reputans poſſe manſuetudine & lenitate vel agreſtiorum animos mollire, ſe facile condonaturum Savonarolae oſtendebat, quod eſſet in ſe inofficioſus, dum per illum meliores fierent Florentini, & ad verae virtutis amorem inflammarentur. Quid ſi praevidiſſet quam ſeditioſus ac turbulentus aliquando ille futurus eſſet concionator, & quam turpiter ac nequiter familiae ſuae infenſus? Quae poſtquam acciderunt, & poſtquam ſuperſtitio & credulitas ceſſere philoſophiae, miror equidem adhuc revocari in dubium quinam vir fuerit Savonarola, & num ſanctorum honore, vel ambitioſorum & ſeditioſorum hominum nota dignus debeat judicari. Inter eos, qui in innocentiſſimorum & prophetarum numero venerandum & colendum Savonarolam putabant, erat Picus Mirandula, cujus auctoritas magnum ſane apud Laurentium pondus habebat. Nihilo tamen minus huic intelligenti quid intereſſet inter levitatem concionatorum, & animum vere popularem & ſaluti populi conſulentem, non poterat non eſſe ſuſpecta Savonarolae eloquentia, & ridens Pico affirmabat ſe malle illius innocentiam & caſtimoniam, quam alterius auſteritatem aemulari. Erat profecto Picus vir integer, juſtus & religioſus, quas virtutes decorabat ſingulare ingenii acumen & divina prorſus memoria, ut non immerito *Phoenicis* cognomine ap-

pellaretur. Multae urbes ſtupefactae illum audierunt diſputantem de illis rebus, ad quas tum omnium aures patebant, quod exquiſitae cujusdam aut artis, aut doctrinae eſſe putabantur; cumque hoc ſibi ſumpſiſſet, ut nongenta uſque capita ex dialectica, ethica, phyſica, matheſi, metaphyſica, theologia & aſtrologia petita Romae publice defenderet, nactus eſt accuſatores acres & acerbos, qui eum coegerunt ſenſus ſuos de rebus quibusdam divinis exponere, ſeque ab omni ſuſpicione erroris vindicare. *Apologiam* ſuam fidei, juſtitiae bonitatique Laurentii commendavit, quem ſuae exiſtimationis cupidiſſimum ſtudioſiſſimumque cognoverat. Sed cum novas ſemper turbas ac rixas ſibi fore Romae praevideret, in Laurentii domum, veluti in portum confugit (165). Ibi tanquam in Academia poſcebat ſemper aliquem eorum, qui aderant, cauſſam diſſerendi; & quod Platonicorum mire ſtudioſus erat, in commemoratione earum rerum libentiſſime verſabatur, quae geſſerant Medicei, ut in honore eſſet illa frugifera & fructuoſa philoſophia, quam, quod de bonis rebus & malis, deque hominum vita & moribus diſputat, Socrates e caelo primum devocaviſſe traditur. Mos erat Laurentio carminibus interdum explicare, quae invicem ſibi proponebant ad diſputandum (166), neque difficile illi erat magnum numerum optimorum verſuum de his ipſis rebus dicere ex tempore: nec ſolum elegantia carmina, ſed & liberales jo-

ci ac moderata convivia exhilarabant hujuſmodi congreſſiones, ut difficile eſſet judicare, utrum jucundiores an vero utiliores eſſent. Omnino ſi aliquem reperiſſet Laurentius, cujus cum ſtudiis, moribus & natura congrueret, omnia cum illo ſibi eſſe velle communia videbatur; & ut haberent amores deliciaeque illae ſuae Ficinus, Politianus & Mirandula, ubi commode ruſticarentur, ſingulis villam, alteri Careggianam, Faeſulanam alteri, tertio demum Quercetanam aſſignavit. Dolebat vero, cum ſemper voluntatem eamdem habuerit otiandi cum viris doctis, ſe libertatem eamdem non ſemper habuiſſe; nam publica negotia vel invitum ad ſe ſe revocabant. Sed & vel iis temporibus, quibus propter infinitas ſuas occupationes minus quam vellet iis fruebatur, nullus temere intercedebat dies, quo non ad eosdem ſcriberet, & quo non aliquid de antiquitate & de philoſophia ab iis requireret, modo aliquam illis quaeſtionem proponeret, aut mandata daret, & interdum jocans eorum verboſiores eliceret epiſtolas. *Ego vero expectabo ea, quae polliceris* (ſcribebat aliquando in haec ferme verba ad Marſilium Ficinum eo tempore, quo hic de animorum immortalitate Platonis mentem explicandam ſuſceperat), *neque exigam, ſed erunt mihi gratiſſima, ſi ſolveris: ſcis enim a te praeſertim ſuppeditari nobis, ubi animus ex rerum publicarum ſtrepitu, & aures malorum civium convicio defeſſae con-*

quieſcant: an exiſtimas ferre nos poſſe tantam contentionem, niſi animum doctrina relaxaremus? Extant quoque epiſtolae Laurentii ad Mirandulam, quibus ei declarat, poſtquam ipſius monitu Ficinus Plotinum e Graeco in Latinum convertere agreſſus fuerat, vehementer ſe cupere, ut ſuis quoque verbis hominem quotidie ad proprium munus atque ad penſum vocaret (167), neque minus ſe optare, ut poſtquam in Platone, inſignioribusque Platonicis interpretandis elaboraſſet, Latinam aggrederetur Hippocratis explanationem. Per hanc enim gigni & propagari poſſe putabat veram medendi artem, qua de cauſſa favit etiam Politiano interpretanti divini illius ſenis aphoriſmos cum Galeni in eosdem commentariis (168). Sed quanquam haec voraret Ficinus, cooptatus tamen per Laurentium in Collegium Canonicorum Florentinorum non ſatis temporis ac ſpatii ſibi dari amice querebatur ad tam multa, tamque varia perficienda. Latius quoque manabat horum hominum, & praeſertim Politiani induſtria, cum ad cetera mandata acceſſiſſet educatio filiorum Laurentii, quos litteris imbuere, & vel a prima aetate philoſophiae conſecrare pater ſapientiſſimus optabat. Qui, dum Reipublicae non ſolum cura, ſed etiam procuratio infinitis officiis conſtrictum eum tenebat, exponebat tamen iis inſigniora Platonicorum dogmata ad impellendum ſatis, ad edocendum parum. Quare domi habebat erudititiſſimos magiſtros,

quos non minus pretio, quam diligentia parabat, retinebatque humanitate ſingulari. *Si ferae partus ſuos diligunt* (ſcribebat ad Politianum) *qua nos in liberos noſtros indulgentia eſſe debemus; & ſi omnes, qui civitati conſulunt, cari nobis ſunt, certe in primis liberorum inſtitutores, quorum induſtria ſempiternum tempus ſpectat, quorumque praeceptis, conſiliis & virtute retinebimus familiae & Reipublicae dignitatem*. Liberorum natu major erat Petrus, quem ſic animatum volebat, ut ſe Reipublicae procreatum putaret. Is quidem a prima aetate mirum in modum gratus fuit multitudini & civibus, quod patris magis, quam illius meritis libentius tribuerim; quanquam Politianus affirmare non dubitabat (169) *reviviſcere in illo patris ingenium, patrui virtutem, patrui magni humanitatem, avi probitatem, proavi prudentiam, pietatem abavi, omnium vero majorum ſuorum liberalitatem, omniumque animum*. Sed aequior judex Laurentius multa habebat, quae dolenter reprehenderet in filio, ambitionem praeſertim & iracundum animum, quae vitia ut tolleret & extraheret radicitus, magnopere laborabat. Quodque arbitrabatur nihil Graecos attuliſſe melius delenimentis poeſeos ad excolendos homines, & ex agreſti vita ad humanitatem traducendos, convocabat ad ſe ſe poetas, qui cum alternis canerent, & ad pares numeros reſponderent, extemporaneae facultatis laudem ab audientium corona, & vitioſae naturae emendatio-

nem a Petro poſcebant. Saepe etiam illi optimi cujusque & ſtudia & facta ad imitandum proponebat; monebatque, ut uni ſibi non ſe ſe natum meminiſſet, ſed ſuis, ſed patriae, ſed Reipublicae. Idem ex Platonis libris tanquam de narthecio promebat vitiorum medicamenta, & quaedam ſaepe in ore habebat ex IV. Legum libro, quibus etiam uſum fuiſſe Romanorum Imperatorum doctiſſimum ad ſe ipſum ad virtutem excitandum memoriae proditum eſt. Quae quidem ea conditione ac modo referam, ut Laurentium ipſum loqui putes. *Quemadmodum nos non bobus boves, nec capris capras praeficimus, ſed ipſis nos genus praeſtantius dominamur, ita Deus homines amans majus quiddam homine civitatibus praeeſſe vult, quod ſuae & noſtrae felicitati conſulat, ſicque rerum publicarum curam gerat, ut procul a ſeditione atque ira pacis & pudicitiae, libertatis & juſtitiae copiam praebeat..... Verum ſi cupiditati animum deditum habeat, hiſque ſatiari deſideret, cum id minime aſſequi poſſit, inexplebili inexſtinguibilique ardore, & inſanabili morbo vexabitur, ſicque dominabitur civitati, ut ſtatim, ſpretis legibus, nulla ſalutis ſpes amplius ſit futura*. Nihil earum rerum praetermittens Laurentius, quas conducere poſſe putabat ad accendendum in Petro verae gloriae deſiderium, Innocentio VIII. Pontifice Maximo renuntiato, ipſum Romam gratulatum miſit, ut ejus actiones quaſi magno theatro ſpectatae, hominum

Digitized by Google

excellentium cogitatione conformarentur. Et ne amicis monitoribus careret, dedit illi itineris comites Politianum & Scalam, quorum diligentiam ipſe quodammodo praecucurrit, ſcriptis monitis prudentiſſimis, ad quae vitae curſum dirigere debebat (170). Sed quo magis certarunt omnis ordinis homines in honorando Laurentii filio, eo magis ipſe verebatur, ne illius animus nimia ambitione efferretur, & inſolentius fortunae muneribus aliquando abuteretur. Quinquennio poſt illum quoque Mediolanum legavit ad cohoneſtandas nuptias Galeatii Sfortiae, ibique admirabilitatem quamdam feciſſe ejus ingenium, humanitatem atque magnificentiam ſcriptum invenio (171). Petro proximus, intervallo tamen trium annorum, natu erat Joannes, quem pater in Eccleſiae caſtris militaturum, ampliſſimiſque auctum iri fortunis ſperabat. Quia quidquid magnum iis temporibus accidebat, portendi, monſtrari, praedici per oſtenta, portenta, monſtra, prodigia ac ſomnia homines cenſebant, non defuere, qui affirmarent, Claricem Joannis matrem jam gravidam leonem ingentis magnitudinis & mirae lenitatis in Reparatae templo Florentiae omnium maximo ſe parere ſine gemitu ſomniaſſe, idque ſatis aperte indicaſſe futuram pueri dignitatem, qui Leonis X. nomine, ac benignitate & fama incredibili Catholicam Eccleſiam gubernavit. Hujus eventus poterant eſſe certiora indicia Joannis dociliſſimum ingenium, & non

adumbrata

adumbrata ſed expreſſa, quae ille dabat ſigna, maximarum virtutum, quae ut una cum aetate adoleſcerent, magnopere ſtuduit Laurentius. Et quamvis domi abundaret excellentibus praeceptoribus, exigebat tamen a Petro, ut idem & diſcipulus eſſet & magiſter, erudiretque fratrem in Latina lingua, atque mutuis exercitationibus ſe ſe ad induſtriam excitarent (172). Quod minime dubitabat Laurentius, quin Joannes expectationem, quam ſui a prima aetate concitarat, adultus ſuſtineret tueretur que, facile a Ludovico XI. Galliarum Rege pro gratia, qua apud illum plurimum valebat, obtinuit, ut ille ampliſſimo ſacerdotio (Abbatiam Fontis dulcis appellabant) augeretur; cum antea quoque vehementer egiſſet, ut Aquarum Sextiarum Archiepiſcopus diceretur (173). Nondum tum expleverat octavum aetatis annum, quod quidem declarat perverſam illorum temporum conſuetudinem metiendi Eccleſiae munera non hujus utilitate, ſed potentiorum & gratioſiorum emolumentis & commodis. Neque minus bene in Joannem animatus Innocentius Pontifex, qui nunquam ſe non velificaturum Mediceorum honori ſaepe declarabat, ipſum quinquennio poſt in Cardinalium numerum legit (174). Verens tamen reprehenſiones hominum, quod in ampliſſima dignitate puerum locaſſet, vetuit ab illo ejusdem inſignia niſi poſt triennium ſuſcipi, ſeque cupere declaravit, ut interea curſum, quem inchoaverat ſtudiorum

in Academia Piſana, conficeret (175). Multa inter Laurentium & Pontificem ipſum acta fuere, quo citius Joannes dibapho indueretur, utque factum, quod occultari debebat (176), in ſolemni Patrum conventu promulgaretur. Id tamen ad annum MCCCCLXXXXII. protractum eſt. Tum quidem Joannes Romam venit ad exequendum ſuum munus, gratumque animum Pontifici declarandum (177). Incredibili omnium ordinum congratulatione & plauſu ejus adventus exceptus fuit. Sed ne honor inflaret adoleſcenti ad ſuperbiam animum, potiuſque ſtimulos adderet ad bene de familia, de patria deque univerſa Chriſtiana Republica merendum, Laurentius dabat ei frequenter praecepta vivendi; & quae hac de re extant litterae ejusdem (178) declarant quam excellens eſſet & hortator & magiſter morum. Eas dum legimus, quem non contemnimus philoſophum! Neque minus in ea re ſuam exiſtimationem agi putabat, ut gratus erga Pontificem cognoſceretur pro maximis beneficiis, ſingularique humanitate, quam ab illo perpetuo obtinuerat. Itaque ſiquid majoris momenti ab illo geſtum eſt, non defuit conſilio, omnibuſque ejus negotiis ſingularem fidem praeſtitit. Et quod eidem non minus curae gratiam liberorum, quos ſaeculi corruptis moribus indulgens privatus ſuſceperat, quam ambitionem in poſteros eſſe intelligebat, Magdalenam filiam Franciſco Cibo in matrimonium dedit (179), conciliante has nuptias Raynal-

dio Urſinio ſponſae avunculo, Archiepiſcopo Florentino, qui Romae degere ſolebat majorum honorum ſpe illectus. Aſſidue vero Laurentius monebat filiam, in qua praeter eximiam pulchritudinem forma quaedam praeclari ingenii lucebat, ut cogitaret quae eſſet, quo loco, quid dare Populo Romano, quid reddere majoribus ſuis deberet; & quoniam in officio colendo ſita vitae eſt honeſtas omnis, ſicuti in negligendo turpitudo, ipſam magnopere hortabatur, ſic blandiretur viro atque Pontifici, ut ne unquam ab obſequio atque a virtute diſcederet. Praeter eos, quos memoravimus, Laurentii liberos, erant Lucretia, Conteſſinia & Aloyſia, quarum primam, ut ſupra commemoravimus, Jacobo Salviato, alteram Petro Ridolpho an. MCCCCLXXXVII. in matrimonium dedit, tertiam Joanni Medici deſponderat (180): denique erat Julianus, in quo egregiam quamdam & praeclaram indolem virtutis vel a tenerrima aetate apparere Laurentius laetabatur. Itaque de bonis ſtatim illum inficiendo artibus vehementer curavit, ut ad majora poſtea veniret paratior. Quae is Romae geſſit, fratre Pontificatum Maximum gerente, ut reviviſcerent antiquitatis & veteris comoediae ſtudia, & laudes, quas ab Florentinis obtinuit in adminiſtranda Republica, poſtquam Medicei longo ab exilio duodeviginti annorum revocati in priſtinum locum honoris fuere reſtituti, viri boni, comis, modeſti, liberalis & humani, recte de illo patrem augu-

ritum fuiſſe oſtendunt. Et profecto niſi ille tenui, aut potius nulla valetudine fuiſſet, & ſi vitam longius produxiſſet, extitiſſet civitatis & familiae lumen. Erat & Julius in domo Laurentii ex Juliano fratre & concubina natus (181), paullo antequam is in Pactiana conjuratione trucidaretur. Eduxit illum a parvulo patruus, habuit, amavit pro ſuo, haud praevidens quantum ejus ambitio atque amplitudo futura fuiſſet fatalis ad Reipublicae Florentinae libertatem atque ſalutem. Sed ipſius Laurentii ſplendor, & ſtudia, quae adhibebat, ut ſui Romae potentes eſſent, Mediceis appetendi regni viam muniebant; praeſertim cum Reſpublica in eum locum civium licentia adducta eſſet, ut priſtinam libertatem retinere amplius non poſſe videretur. Amicitiae Principum, quae ab ipſo ſtudioſiſſime comparabantur, ut commune commodum mutuis officiis gubernaretur, novae affinitates, quibus externas ac potentes familias ſibi ſuiſque in perpetuum devincire cupiebat, cauſſam querelarum & ſuſpicionum invidis dabant. Jam nihil tam excelſum eſſe videbatur, quod non virtus & fortuna illius eximia non mereretur; quare minime eſt mirandum, ſi cum uxorem ipſe ab Urſiniis aegre obtinuiſſet indotatam, ſeu verius emptam (nam eo nomine aes alienum Urſiniorum ſua pecunia diſſolvit) Alfonſinam ex eadem familia cum magna dote Petro filio adjunxerit. Nihil magnificentius fuit his nuptiis, quae menſe Martio

Digitized by Google

an. mcccclxxxvii. Neapoli factae fuerunt coram Rege & univerſa aula in ipſis Regiis aedibus magno convivii & chorearum apparatu (182). Quamvis ante haec ſponſalia magna conjunctio Laurentio eſſet cum Urſiniis, hanc tamen arctiorem facere, ſibique magis magiſque demereri Virginium Urſinium, qui erat familiae princeps, pollebatque auctoritate & gratia, vehementer concupivit. Eodem tempore finitimi omnes Etruriae reguli ejus affinitatem appetere videbantur; & quoniam ſanguine conjuncti cum Laurentio eſſe non potuere, ut eſſent ſaltem amicitiis magnopere laborabant. Itaque Balleonii Peruſini, Vitellii Tifernates, Bentivoli Bononienſes, Maleſpinae Apuani, Faventinique Manfredii ab illius conſilio ſic pendebant, ut unum illud in omni re agenda reſpicere viderentur. Dum vero ipſe amovere ſatagebat illa, quae cupiditatem & arrogantiam in ipſis incendere poterant, vigilabatque, ne liceret potentioribus eorumdem mentes corruptas largitionibus, omnique vitiorum labe ad mala conſilia & Italiae tranquillitati periculoſa traducere, quonam animo ferre potuiſſet, ut illorum ruina ii altius aſcenderent, qui ſe imperia quaelibet concupiſcere poſſe putabant? Quapropter felicitatem & providentiam laudabo Laurentii, qui in ſua auctoritate ſubſidium ſalutis ſemper eos habere voluerit, ac ſaepe adduxerit ad arbitrium ſuum ortas eorumdem cauſſa controverſias, quae niſi fuiſſent extinctae, magnas

ſane perturbationes afferre potuiſſent. Defecerant Auximates a Pontifice, Buccolino Guzzonio auctore, & multis nobilium trucidatis, latius malum hoc ſerpere videbatur. Ubi Pontificios infeſtis ſignis ad ſe venire vident, inter ſe fidem & jusjurandum dant, citius ſe perventuros in Turcarum poteſtatem, quam Romanorum imperio iterum parituros. Itaque ſibi plus aequo tribuentes, & inani ſpe externorum ſubſidiorum elati non modo parabant ea, quae ad defenſionem urbis, ſed quae ad occupandum Picenum opportuna videbantur. Cum Pontifex anxio & ſollicito animo eſſet, quod neſciebat, quorſum tanta commotio ac deſperatio eſſet evaſura, ejus timori conſulendum eſſe Laurentius putavit. Itaque Gentilem Aretinorum Epiſcopum miſit ad Buccolinum, qui ita functus eſt legatione pacificatoria, ut ille, cognita Laurentii voluntate, ſtatim ſe ab armis diſceſſurum ſpoponderit. Nec illi dubium fuit, quin aequa conditione eſſet uſurus, cum ſe reſque ſuas in arbitrio & poteſtate Laurentii poſuiſſet, ad quem cum veniſſet, & honorifice & liberaliter habitus eſt (183). Sic unius viri prudentia ille factionis globus disjectus eſt, & ejusmodi reconciliatio fuit, ut utriuſque partis, quod raro evenit, gratiam Laurentius iniverit. Per eadem ferme tempora in Aemilia tumultus plurimi excitati. Indignum ſane facinus fuit, quod in Hieronymum Riarium Comitem admiſſum eſt, cujus participem Lau-

Digitized by Google

rentium fuiſſe multi contendunt, & ab eo ad ulciſcendas praeteritorum temporum injurias comparatum. Sed Laurentii conſilium eo pertinebat, ut hominem lutulentum, impurum, ſuperis atque hominibus inviſum de poſſeſſione Fori Cornelii & Fori Livii dejiceret. Quod cum per Legatum ſuum Guidonem Antonium Veſpuccium cum Innocentio communicaſſet (184), viſus eſt Pontifex una in re diffidere, cuinam urbes illae eſſent concedendae: nam jura Sedis Apoſtolicae tecta eſſe volebat, cum utilius & aequius videretur Laurentio Antonii Ordelaffii honori & juribus favere. Dum omnia erant ſuspenſa inventi ſunt homines delendae tyrannidis cupidi, qui necem illi afferre deliberarunt. Id difficile videbatur, quia ille ſollicitus conſcientia & ſuſpicione, metuque agitatus, urbem Fori Livii, in qua degebat, praeſidio ſepſerat, & circum ſe ſemper armatos homines habebat. Sed oblata eſt occaſio ejusdem occiſoribus rei bene gerendae. Fidem dantes jurantesque ſe non redituros domum, niſi perempto tyranno, conclave, in quo ipſe paullo ante coenaverat, bini ingrediuntur, reliquis ad portarum cuſtodiam relictis. Inſidias ſibi parari ille ſtatim intellexit, & quid vellent, ipſos rogavit. Clamant: *latroni quae potest afferri injuſta nex?* Quo dicto, multis cum vulneribus confodiunt. Spoliatum cadaver e feneſtra dejicitur (185). Reliquias familiae delere voluiſſent, ſed uxor Catharina Sfortia

cum liberis in arcem ſe ſe recepit. Subvenit afflictae ejus frater Galeatius Maria Mediolanenſium Dux, effectumque ejus armis (nam quae a Pontifice expectabantur, ſocors illius natura negligensque tardaverat) ut Octavianus patri ſuccederet. In hac converſione rerum nihil aliud egit Laurentius, niſi ut Reipublicae Florentinae redderetur oppidum, quod *Piancaldoli* appellatur (186). Id an. MCCCLXII. in poteſtatem Reipublicae venerat liberalitate Joachimi Ubaldinii, ſed ipſum ſaepius amiſſum cum aliis vicinis pagis armis captum Hieronymi Comitis, an. MCCCCLXXIX. ſub imperium ditionemque Dominorum Fori Cornelii Sixtus Pontifex ſubjunxerat. His temporibus non minus crudeliter actum cum Galeotto Faventiae Domino. Ut erant Manfredii Florentinis amiciſſimi, Laurentius eorum patronus & parens habebatur; quapropter conciliavit Galeotto nuptias Franciſcae Bentivolae, quae nuptiae principio plenae dignitatis, plenae concordiae fuerunt. Sed haec laetitia minus fuit diuturna. Nam cum Galeottus coepiſſet eſſe totus in amore neſcio cujus mulierculae, Franciſca violatum matrimonii foedus apud Joannem patrem, itemque apud Laurentium querebatur. Neque hoc modo, ſed illud etiam garrula lingua viro ſaepe exprobrabat, quod homini e Franciſcana familia uni tribueret plurimum, ſane verſuto & callido, qui ſe intelligere & praedicere futura gloriabatur. Dum hic in interiore aedium parte detine-

bat

bat Galeottum ſuis deliramentis, latens eorum dicta audiebat Franciſca, quae cohibere motus animi turbati non potuit, cum patri infauſta aut praedici, aut agitari ſenſit. Mulieris temeritatem non ſolum verbis, ſed etiam verberibus caſtigavit Galeottus, unde diſſidia, rixae, odia. Incenſus ira Bentivolus occulte Faventiam accedit, noctu filiam & nepotem rapit, & cum Hieronymo Riario agit de invadendo in illam urbem cum magna militum manu. Interceſſit graviſſima Laurentii auctoritas, ne ullum Galeotto conflaretur periculum, nihilque idem non egit, ut placarentur & reconciliarentur conjugum animi (187). Res ad concordiam redire viſae. Sed ut ſunt foeminae ad omnem ſimulationem idoneae, facile fuit Franciſcae nemini ficte reconciliatae gratiae ſuſpicionem dare. Interím aegram ſe fingit, & virum ad ſe viſendam invitat. Ingredientem cubiculum inermem, ut pote cum nihil inſidiarum ſuſpicaretur, quatuor ſicarii, quorum tres ſub lecto deliteſcebant, aggrediuntur. Ab iis ſe ſe liberare tentat, & quod viribus valebat, fortaſſe non inutilis fuiſſet conatus. Sed ubi pugnam dubiam vidit Franciſca, ſurgit e lecto, & gladio per adverſum ventrem adacto, virum interficit. Occiſo Galeotto, praeſidium ſibi & liberis Franciſca in arce quaeſivit. Adfuit adjutor cum copiis pater, & venit etiam cum ſuis militibus Borgominus e Foro Livii, quo a Mediolanenſium Duce poſt mortem Riarii Comitis

miſſus fuerat. Quod Faventini hos non bene animatos putabant in Aſtorgium Galeotti filium, quem nunquam ſe deserturos, & cui ſe uni obtemperaturos palam profitebantur, tanta eorum virtus atque ea praeſentia animi fuit, ut Bentivolum comprehenderint, & Borgominum, fugatis illius militibus, interfecerint. Mira profecto fuit Faventinorum fortitudo, concordia atque conſenſus in defendendis juribus Aſtorgii, & in exſequendis conſiliis Laurentii, qui ſe illis nunquam defuturum ſpopondit. Miſit ad eos Legatum Dionyſium Puccium (188), qui ſtatim egit de Bentivolo in libertatem e vinculis eximendo. Re aegre impetrata, homo per Mutilum, quod valde timebat furorem eorum, qui in valle Amonis habitabant, Florentiam adducitur. Hoſpitio exceptus a Laurentio, cui ſe vitam debere palam praedicabat, paucos poſt dies Bononiam cum muneribus dimittitur. Exorantur etiam Faventini a Laurentio, ne quod crudelius ineant conſilium de Franciſca, & pro gratia atque potentia facile obtinuit, ut ipſa Bononiam ad patrem tranſire poſſet. Egit quoque cum Pontifice de illa noxiis ſolvenda (189). Placuit ei, ut Reſpublica Florentina in tantis motibus Faventiam mitteret ſatis magnum numerum peditum equitumque, quorum imperium dedit viris generis claritate, & uſu belli praeſtantibus, Pitiliani Comiti & Rinuccio a Martiano. Porro non videbantur res quieturae niſi armorum metu. Erant

enim qui favebant Octaviano Manfredio Caroli filio; & Cutignolenſes, ſuperbientes Sfortianorum, quibus ortum dederant, patrocinio exigui imperii fines Faventinorum detrimento proferre cupiebant. Horum conatus qua vi, qua auctoritate compreſſit Laurentius (190), effecitque ut Aſtorgius neminem omnium pluris quam ſe faceret, quem parentis loco ſe perpetuo habiturum affirmabat. Si ei, cui amiciſſimus erat, inimicus fuiſſet, fortaſſe Florentina Reſpublica Faventinorum ditione potita eſſet, ad quod multorum conſilia ſaepe ſpectarunt: ſed ipſe aut noluit datam fidem violare, aut tum minime opportunum putavit Florentinos ſuos novo implicari bello, & diſcordiarum cauſſam cum Pontifice habere. Triumphabat hoc ipſo, quod illius voluntate & arbitrio omnia geri in Italia videbantur. Non minus illi curae fuerunt res Balionorum, qui ab Oddis crudeliſſimis illorum inimicis, & a Pontifice e gubernaculo civitatis Peruſiae dejecti fuerant. Nunquam his temporibus recuperarunt ii priſtinam auctoritatem dominatumque, quin id retulerint acceptum conſiliis & ſubſidiis Laurentii, qua in re magnum ſemper odium Sixti Pontificis ſuſcepit. Imperante vero Innocentio, magno opere fecit, ut eum pacatum haberent, tenerentque in patria principem locum, quanquam ipſe, qui jura Sedis Apoſtolicae tecta eſſe volebat, miſerit eo Legatum, coegeritque cives, ut jurarent Romanum Pontificem re-

Digitized by Google

rum ſuarum dominum ſe ſemper habituros (191). Quae dum gerebantur quodammodo latebat Laurentius, cum tamen per eum omnia reperirentur, quibus aut Balionii aut Vitellii eorum vicini ad auctoritatis priſtinae ſpem reviviſcerent, neque a Neapolitanorum Rege, a quo per Pontanum tentabantur, verba ſibi dari facile paterentur. Id enim maxime intereſſe Reipublicae Florentinae judicabat (192). Adfuit & Aſculanis, quibus adeo irritatus erat Pontifex, quod Firmanos bello vexaſſent, ut de iis ſubigendis deliberaverit. Sed flectit Laurentius illius animum, efficitque ut ii libertate diutius fruerentur (193). Sic unus vir univerſorum negotia ſuſtinebat; neque iis deeſſe unquam poſſe videbatur, quorum utilitas cum bono publico & Reipublicae Florentinae ſecuritate conjuncta eſſet. Neque erat contentus fines imperii defendere, ſed eos etiam propagare cupiebat. Itaque cum inter ſe acerrime diſſiderent Senenſes, & multi eorum patria expulſi novas res molirentur, maxime opportunam hanc eſſe occaſionem putavit ad eorum civitatem occupandam. Inter perpaucos, quos bene noverat, rem ſecreto egit; mox comperto Pontificis animo ad pacem proni, & incoeptis deſtitit, maximeque ſtuduit, ut ab ſe alieni appetendi ſuſpicionem propulsaret. Quapropter eumdem auctoritatis locum, quem antea, tenuit apud Senenſes, ea gloria laetus, quod prudentiores potentioresque eorum ad decus, ad laudem atque utilitatem Rei-

Digitized by Google

publicae intereſſe arbitrarentur colere ſui ipſius & Florentinorum amicitiam (194). Ex quo fiebat, ut quoties per eorum civitatem tranſibat, vel in eorum agro valetudinis gratia commorabatur (195), nullo non honore ab univerſis civium ordinibus aſſiceretur. Sunt qui tradunt ipſum quoque ad Plumbini principatum aſpiraſſe. Intelligebat is quidem quanti momenti eſſet, ne illud ſub potentiorum ditionem caderet; & narrabat aliquando Senenſibus dictum Alfonſi Aragonii Neapolitanorum Regis, ſe non dubitare, modo eum portum haberet, quin univerſa Etruria facile potiretur (196). Sed tot erant vincula amicitiae & cognationis, quae ei erant cum Appianorum familia, quae illi regioni dominabatur, ut aliquando tanquam plenum turpitudinis repudiaverit conſilium Franciſci generi ſuadentis occupandum illum locum, propterea quia ejusdem dominus diris a Pontifice Romano devotus fuerat; tantum iis temporibus tribuebant homines hujusmodi animadverſionibus (197). Verum etſi adminiſtrante Laurentio res Florentinorum, non admodum prolati fuerint imperii fines, eo tamen potentiae Reſpublica pervenit, ut quemadmodum Ludovicus Sfortia dictitabat, quae nuper vitrea fuerat, ea denique ferrea evaſerit. Atque haec potentia magis quam in vi & armis, in pecunia poſita erat. Incredibile enim dictu eſt, quanta vis argenti ex quaeſtuoſiſſima emendi & vendendi mercatura ad Florentinos perveniret. Ii non

modo per totam Europam, ſed & per Aſiam & Africam ſparſi, quod omnes pecuniae vias noſſent, & quod ingenio praeſtantes bene callerent populorum, apud quos commorabantur mores, ſtrenue rem & ſuam & patriae augebant. Quidquid neceſſitas alibi fabricabatur, venuſtate ipſi perficiebant, quapropter magna illis divitiarum cauſſa fuere lanea vellera, quae a Britannis atque ab Hiſpanis contexta inficiebant ac polliebant noſtrates. Serica opera Florentinorum vel ad Sarmatas comportabantur, ut ex litteris Matthiae Corvini Regis Hungariae ad Laurentium conjicere potui. Quotquot erant in Italia aluminis fodinae conducebantur a Mediceis; neque urbs erat ad faciendum commercium idonea, praeter illas totius Europae nundinas, Brugas atque Lugdunum, in qua ipſi ceterique Florentini menſas atque negotia non haberent. Siculorum frumenta, quibus hi ſemper abundarunt, ut merito illorum inſula horreum Italiae nominaretur, magnam Florentinis lucrifaciendi cauſſam praebebant. Laurentius vero, cum eſſet gratioſus non ſolum apud omnes Principes Europae, ſed etiam apud Turcarum Regem, apud Caytbejum Memphiticum Sulthanum, quo ſane nemo bellica virtute felicior fuit, alioſque plures, efficiebat ſuis commendationibus, ut grati eſſent Florentini negotiatores, & optime ac benigniſſime tractarentur. Ad nos uſque pervenerunt, quae auctore Laurentio, Reſpublica Florentina pacta eſt

cum ipſo Aegypti Sulthano, quod magni ſane interfuit ad mercaturam libere faciendam praeſertim Alexandriae & Babyloniae (198). Legatus vero, quem hac de cauſſa miſit, venit ad Laurentium cum magna donorum vi (in his camelopardalis & ferae aliae rariſſimae (199) & cum litteris, quibus nihil unquam accidiſſe glorioſius privato homini exiſtimatum eſt. Divitiae, quibus abundabant Florentini, augere civitatem populo debebant (200); & cum domus deeſſent ad illum continendum, rogavit Laurentius Innocentium Pontificem, ut poteſtas eſſet civibus ſuis aedificandi in hortis iis, qui ad religioſorum hominum familias pertinebant. Soboles, familiae, pecuniaeque cenſebantur: ad dignitatem & decus Reipublicae conſervandum certi quotannis ſumptus impendebantur; neque illos mediocres fuiſſe oportet, cum pro obeunda legatione ad Gallos mortis cauſſa Ludovici XI., quae magno Laurentii atque Florentinorum luctu accidit an. MCCCCLXXXIII., tribus primariis civibus Florentinis triginta uſque florenos quotidie ſolutos fuiſſe ſcriptum inveniam. Magni quoque ſumptus fiebant in rem militarem, neque paucis erant contenti illi mercenarii magni nominis Duces, qui utique ſola quaeſtus gratia operam ſuam & ſuorum populorum ſanguinem locare videbantur. Non minus enim florenorum LXXX. millia, ut unam rem exempli gratia ponamus, pendebantur Ferrariae Duci, quando bellum a Florentinis

& Mediolanenſibus adverſus Pontificem, & Neapolitanorum Regem gerebatur. Suis etiam liberalitatibus eos duces cupidos bellandi, quoties opus erat, efficiebat Laurentius: ſui enim officii eſſe putabat beneficia a patria accepta patriae reddere. Sed ipſe renovans praeteritorum temporum memoriam ſaepe civium auribus inculcabat ſapiens illud dictum; parva ſunt foris arma, niſi eſt conſilium domi; eaque propter merito in commodis utilitatibusque (vix enim invenitur, qui laboribus ſuſceptis, periculiſque aditis, non quaſi mercedem rerum geſtarum deſideret gloriam) gloriabatur, quas ſine vi armorum, opinione ſolum & fama, civitati ſuae pepererat. Hiſce artibus effecit, ut per animos gentium vel barbararum pervaſerit ipſius nutu multa geri in Europa; & magnum certe illius auctoritatis pondus fuiſſe ex hoc quoque conjici facile poterit. Mahomete Turcarum Rege mortuo, quod contigit an. MCCCCLXXXI. Byzantii confeſtim tumultuatum eſt, hoſtiliterque inter duces dimicatum, parte una militum imperium Bajazeti deferente, *Zyzimo* altera minori natu fratri: ſed ille uſus opera Achinatis viri fortis & animoſi, qui, Hydrunto occupato, paullo ante terrorem univerſae Italiae intulerat, de inimicis triumphavit. *Zyzimus*, ſalutem in fuga quaeritans, aliquandiu in Aegypto conſtitit, mox in Aſiam profectus, Ciliciae Regis promiſſis adeo incenſus eſt, ut belli fortunam tentare iterum non dubitaverit.

verit. Sed brevi tanta fuit rerum omnium amiſſio ac deſperatio, ut Rhodum profugerit. Mirandum in modum fratri iratus Rhodianorum militum Magiſtrum ſollicitare non deſiſtebat ad magnum aliquid contra Turcas tentandum, futurum profecto affirmans, ſi ipſe Chriſtianorum Principum auxiliis in paterno regno collocaretur, ut omnia ſecunda noſtris evenirent. Sed nihil aliud obtinuit, niſi ut multi ejus calamitatem moererent, cogitantes praeſertim, quo quantoque patre ipſe genitus eſſet. Bayazetes interim nullum non movebat lapidem, ut ſibi frater traderetur; & quod hac in re utilem fore Laurentii operam atque fidem exiſtimabat, hanc magnis precibus ac promiſſis expoſcit. Facinus viſum eſt indignum Laurentio, cui facile fuit excuſationem juſtam atque idoneam afferre. Eodem tempore exorabatur a Venetis, ne *Zyzimus* in poteſtate eſſet Hungariae Regis, a quo ea de cauſſa vehementer petebatur, quod per eum Turcis ſuis implacabilibus inimicis negotium faceſſere ſperabat. Contigit quidem Laurentio, ut qui de *Zyzimo* aut metum aut ſpem conceperant, ejus ſtudia atque officia exquiſierint; & quod honor Pontificis maxime ei cordi erat, egit praeſertim cum Galliae Rege, ut *Zyzimus* Romam traduceretur. Paucos ibi vixit captivus annos, fuitque fama aut moerore, aut veneno, imperante Alexandro VI., ſublatum illum fuiſſe. Erant tum Italicorum Principum multi, qui ſine injuria poten-

tiam levem atque inopem eſſe arbitrabantur; itaque minas jactando, aut pericula intendendo, aut formidines opponendo beneficia non obtinebant, ſed extorquebant. Inter hos eminebant Calabriae Dux, in quo nihil fuit unquam moderatum & pudens, & Ludovicus Sfortia homo ferus atque impotenti ambitione. Sed Laurentius molliendos animos, vel contrarias voluntates ſibi conciliandas, opportunitate idoneorum ad agendum temporum utendum, adhibendam dexteritatem atque prudentiam cenſebat, quod utrum ei glorioſius an laborioſius fuerit difficile eſt judicare. Tanta enim illis temporibus erat diſcordia Italorum Principum, ut neceſſe videretur inclinatione voluntatis in aliquem, odium in ſe multorum hominum graveſque offenſiones concitare. Quapropter non vereor ne videar aſſentari Laurentio, ſi affirmavero ſingularem & pene divinam in hac rerum difficultate illius prudentiam fuiſſe. Cum haberet certas vias atque rationes, quibus diſſidentium Principum conatus inveſtigare & conſequi poſſet, ita res ab illo agebantur, ut in eorum conſiliis omnibus non modo aures, ſed etiam oculi Laurentii intereſſe viderentur. Dolebat vero ac vehementer angebatur, cum videret Pontificem infenſum atque inimicum adeo Neapolitanorum Regi, ut vocare in judicium, & a ſacris removere illum ob non ſoluta Sedi Apoſtolicae tributa, hujuſque jura violata conſilium ceperit (201). Multa erant vincula, quibus cum

utroque Laurentius conjungebatur, quapropter omnia circumſpicienda ſibi eſſe putavit, ne quid admitteret, quod quemquam jure poſſet offendere. Quod Pontifex in conciliandis nuptiis Franciſco Cibo antepoſuerit Laurentii filiam vel ipſius Neapolitani Regis filiae, & Galeatii Sfortiae ſorori, & nova ſemper atque inſignia daret indicia ſuae erga illum benevolentiae, ut nihil negare poſſe videretur, ipſo rogante Laurentio, ſuſpicionem multis injiciebat ſe de illius ſententia omnia capere conſilia (202). Sed monebat eum Laurentius, ne inops viribus & pecunia (203) ullo ſe implicaret bello; ut prudentiae ac manſuetudinis, minime vero excommunicationis armis jura tueretur atque defenderet; ne nimium tribueret externorum Principum promiſſis, quorum arma niſi ab Italia averterentur, actum fore de ejus ſalute; caveret a Venetis, neque verba ab iis ſibi dari facile pateretur, quod iis mos ſemper fuerit ſerere diſcordias, quo facilius in aliorum fortunas invaderent. Non minus ſtudioſe atque amice Laurentius agebat cum Ferdinando Rege de reconciliatione concordiae; quodque non ſolum Veneti ipſi, ſed & Ludovicus Sfortia vehementer optabant, ne ſe in iſtam pacificationem interponeret, ita munus Reipublicae gratia ſuſceptum explebat, ut nullam ex ſuis factis ipſi offenſionem exciperent. Multae ſane erant cauſſae, quare in Neapolitano regno minime quietae res eſſent; & quamvis ſumptum ſupplicium fuiſſet de

iis, quos conjurationis principes fuiſſe conſtabat, ſuperarant tamen, qui omnes machinas adhibebant, ut vindicarent ſe ſe ab Ferdinandi & Alfonſi Calabriae Ducis impotenti dominatione atque avaritia. Non horum modo, ſed etiam Pontificis iram inflammabant, quod Rex pactis in jungenda pace legibus ſtare nollet (204), ſeque inſolenter jactaret, omnia potentiae ſuae facile ceſsura. Contra haec Pontifex ajebat, niſi publice ſibi ſatisfactum fuiſſet, multas ſe ulciſcendae injuriae habere vias (205), & audacius loquebatur, quod arcae, amicitiae atque affinitati Laurentii plurimum tribuebat. Hic quidem experiebatur & tentabat omnia, quibus molliret iratum Pontificis animum, neque deſiſtebat ipſum a conſilio revocare quaerendi externa auxilia, atque arma iterum capiendi, proponebatque non ſolum mala praeſentia, ſed etiam futura, quae cavere & dignitati & exiſtimationi illius maxime utile arbitrabatur. Eodem tempore, quo Italiam novi belli periculo liberare cupiebat, ſecreto docebat Pontificem, qua ratione Regis audaciae reſiſtere, ſuaque jura tueri poſſet. Multae extant litterae, quae ſunt monumenta inſignia non ſolum rerum geſtarum, ſed etiam prudentiae, dexteritatis, & ſi vis etiam calliditatis, qua ceteros vincebat Laurentius, quapropter illarum quasdam infra haud exſcribere pigebit (206). Ex his quoque cognoſces, quantum eſſet illius auctoritatis pondus, quantum ſalutis ſuae intereſſe putaret

Digitized by Google

Ferdinandus Rex, ſi cum Laurentio & Florentinis ſtudio & amicitia conjunctus eſſet, & quantum Laurentio ipſi elaborandum fuerit, ut nullum tum intercederet bellum, inter quos maxima potentiae eſſet aemulatio. Qua in re non ſolum tranquillitati ſerviebat, ſed etiam dignitati utilitatique, cum ipſe ſolus rerum publicarum fortunam moderari videretur, & familiae commoda augeret. Quod vehementer cupiebat, ut Joannes filius honoribus ampliſſimis fortunisque maximis frueretur, obtinuit a Mediolanenſium Duce & Neapolitanorum Rege eo tempore, quo eorum ſinguli occulte invicem inimici materiem ſuſpicionibus quaerebant (nam Laurentium non tam ſibi conciliare volebant, quam a ceteris omnibus alienare) ut is ditiſſimis, quae in eorum erant ditione, augeretur ſacerdotiis, quorum alterum Miramundi, alterum Montis Caſſini Abbatia appellantur (207). Eodem tempore in hac ſumma gratia ac potentia impetravit Julio fratris filio Capuae, ut vocant, Prioratum, qui erat proprius Rhodianorum equitum, opeſque atque honores aliis aut ſanguine, aut amicitia, aut civitatis jure (208) conjunctis conciliavit. Nihil vero tam glorioſum erat Laurentio, quam dum ſuorum utilitati conſulebat, multorum quoque deſideria ſe poſſe explere. Poſtulant ab eo Pannoniae Rex ut filio, Sabaudiae Dux ut patruo, Veneti ac Ludovicus Sfortia ut Mantuanorum Epiſcopo dibaphum a Pontifice impe-

tret, nec recuſavit eorum precibus ſatisfacere, quamvis de augenda dignitate Joannis filii maxima eum tum cura attingeret. Britanniae & Hiſpaniae Reges, qui Romae graviſſima negotia habebant, haec ejus fidei commendant; & vel ipſe Maximilianus Caeſar, ſcriptis ad eum litteris menſe Sext. an. MCCCCLXXXIX. ſuos Legatos, quos Romam mittebat, ejus auctoritati commendatos voluit, illud addens, *ſe non ignorare quanti uſus & commodi multis eſſet ejus opera in omni re Italica adminiſtranda*. Joannes II. Luſitanorum Rex, ob multas & ſingulares virtutes cognomento Magnus, plurimarum rerum commercium cum Laurentio habebat, ejus opera libentiſſime utebatur, & in hoc ſibi vehementer gratulari videbatur, quod, eodem hortante, res geſtas ſuas hiſtoriae monumentis mandandas Politianus ſuſceperat. Fuit etiam adjutor Laurentius multis in petitionibus Bonifacii Montis Ferrati Marchionis: texit ſua benevolentia, praeſidio cuſtodiaque ſalutem ac dignitatem Macedoniae, ut vocabant, *Principiſſae*, quam apud ſe aeſtate an. MCCCCLXXXIX. hoſpitio cum excepiſſet, ita Pontificis amori fideique commendavit, perinde ac ſi ſocius ejus calamitatum fuiſſet. Vel ipſam Riarii Comitis conjugem Catharinam Sfortiam nulla deſeruit in re, ut ex memoria, quas ſibi vir ejus ſaepe fecerat, inſidias plane depoſuiſſe judicaretur. Sed verebatur, ne, quia in ſe multorum negotia ſuſcipiebat, exaequare videretur ambitione quadam

commendationes ſuas: cum vero videret propter egregiam & ſingularem fidei opinionem multos & magnos Principes ſuo honori eſſe fautores, capiebat animo non mediocrem voluptatem, quod ejus officia multis ſaluti atque honori eſſent, & nominis quoque ſui immortalitati ſuffragarentur. Erant Romae malevoli (hi enim nunquam ſummis viris deſuerunt) qui affirmarent merita Laurentii erga Pontificem minora eſſe quam ab illo praedicarentur; & mortuo ſub finem an. MCDXC. Florentinorum oratore Joanne Lanfredinio, cujus integerrimam vitam, modeſtiſſimos mores, ſummam fidem, prudentiam, innocentiam maxime diligebat Pontifex, tanti ponderis, ſicuti antea, apud illum non fore Laurentii commendationes (209). Quae oratio cum ad aures ipſius Pontificis perveniſſet, contumelioſa ab eo habita eſt, ſeque ita confidere de virtute Laurentii, eique uni tantum tribuere oſtendit, ut iſtud potius judicium quam ſtudium eſſet exiſtimandum. Minime hoc loco praetereundum arbitror, in illorum numero, pro quorum honore ſtudioſiſſime ſupplicavit Laurentius, extitiſſe Alexandrum Farneſium, cui non tam gratia quam cauſſa rogandi profuit. Is enim erat, qui adoleſcentulus profectus Piſas ſtudiorum cauſſa multum profecerat in Graecis & Latinis litteris, quique integritate, modeſtia, virtute ſingulari effecerat, ut in eo nihil unquam vel in lubrica aetate fuerit reprehenſum, utque ipſum Laurentius diligeret non ſecus ac fi-

Digitized by Google

lium (210). Erant & vincula amoris arctiſſima Laurentio cum majoribus ejusdem, ut nihil tam cuperet quam ejus dignitati favere; quodque ſummam conſecutus ſit, cum ad Pontificatum Maximum perveniſſet, apparuit Laurentium a certo ſenſu & vero de hominibus judicare conſueviſſe. Sapiens hic judex & conjector acutus non bene ſperare viſus eſt de illo tyrannorum domitore, cum fuerit ipſe omnium crudeliſſimus tyrannus, Caeſare Borgia, qui etiam Piſis operam litteris dederat, ſtudueratque ut Laurentio cognitus & gratus eſſet. Plena quidem officii & benevolentiae fuerunt quae tribuit Hermolao Barbaro viro omnibus ornamentis praedito, quando creatus a Pontifice, dum Romae Venetorum ſuorum Legatus agebat, Patriarcha Aquilejenſis adeo Reipublicae concitavit iram, ut non ſolum in poſſeſſionem Patriarchatus non venerit, ſed de honore & fortunis ſuis valde timere debuerit. Jamdiu illum noverat Laurentius propter praeſtantiam doctrinae, nihilque illi unquam gratius accidit, quam ut ejus aegritudinem conſiliis atque ſtudiis elevaret (211). Quod ſignum quoddam omnibus bonis artibus ac diſciplinis ad bene ſperandum ſuſtulerat Laurentius, hinc fiebat, ut earum cultores omnes quidquid ab illo peterent, exigere magis quam rogare, nec ſolum in beneficii, ſed etiam in mercedis loco numerare viderentur. Nihil vero aut exigue, aut ſero ille tribuebat, quod nullis terminis ejus humanitas

manitas ac liberalitas circumſcriberentur. Atque in his rebus, quamvis multa a nobis narrata ſint, quod tamen eae inſignes notae ſunt optimi Principis, quae pro litteris geruntur, non recuſabimus alia hoc loco afferre. Expulſus ab Etruria fuerat Franciſcus Philelphus ob immoderatam libertatem ac licentiam dicendi atque ſcribendi: etenim homo aſper, avidus pecuniae, inconſtans ac moroſus adeo ſcriptis ſuis debacchatus fuerat in Coſmum Patrem Patriae & univerſam Mediceorum familiam, ut ferendus amplius non videretur. Nihilo tamen minus nulla in re illi defuit Laurentius, & ſaepe egit cum Mediolanenſium Duce & cum Romano Pontifice de illius fortunis amplificandis, ſaepiſſime pecuniam e ſuo aerario illi dedit, ſumme ſtuduit, ut de exilio Florentiam revocaretur, & vehementiſſime doluit mortem ejusdem, quam anno MCCCCLXXXI. ob itineris incommoda obivit (212). Quotquot in Etruria commorabantur Graeci doctrinae laude clari effecit, ut apud ſe eſſent tanquam in patriis penatibus, quanquam nonnulli eorum iis eſſent moribus, ut facile in dedecora prorumperent, quoties remoto pudore ac metu, ſuo tantum ingenio utebantur. Plena ſuaviſſimi ſtudii fuerunt officia, quae tribuit Matthiae Palmerio, ubi a Joanne Tornabonio intellexit illum in Herodoto interpretando laborare (213). Bartholomaeus Platina, non tam fortuna quam culpa calamitoſus, uſus eſt opera Laurentii ad

ſublevanda in ſe odia Paulli II. Summi Pontificis, aliosque doctos homines iis difficillimis temporibus afflictos & abjectos ſemper liberaliſſimus munificentiſſimusque aut ſua benevolentia praeſidioque texit, aut ad priſtinam dignitatem revocavit. Vel feminae, quae cum Muſis aliquod commercium haberent, nullo non honore afficiebantur a Laurentio (214), ut non natus, ſed a Deo fictus eſſe praedicaretur ad omnia praeclara ingenia acuenda atque inflammanda. Idque vel agreſtioribus probabatur, quod tanquam ad mercaturam bonarum artium multos vel a remotiſſimis regionibus Florentiam proficiſci, & prorſus capi ſplendore rerum Medicearum viderent. Haec enim ratio ac magnitudo animorum fuit in Laurentio ejusque avo, ut cum in privatis rebus ſuiſque ſumptibus, minimo contenti, tenuiſſimo cultu viverent, in imperio atque in publica dignitate omnia ad gloriam ſplendoremque revocarent. Sic ille obtinuit, ut non minus bonus civis, quam paterfamilias diligens haberetur. Ad quam rem declarandam haec erunt quoque teſtimonia. Vixit conjunctiſſime cum Clarice uxore, & graviſſime ejus mortem, quae accidit an. MCCCCLXXXVIII. tulit (215). Quod hujus prudentiae & virtuti plurimum confidebat, & quod metuebat ne nimium tenera Magdalenae filiae aetas inepta eſſet ferendis molliendisque moribus viri, poſt cariſſimae conjugis mortem illam fidei credidit Mariae Mediceae, quae nupta antea Galeatio Mala-

Digitized by Google

teſtae, hoc defuncto, ita Florentiae vivebat, ut omnibus eſſet caſtimoniae & prudentiae exemplar. Qua in re viſus eſt etiam Laurentius plurimum tribuere Matthaeo Franco, qui ita puellae conſuluit, & ita univerſorum, cum quibus Romae verſabatur, benevolentiam collegit, ut dubium eſſet cui aetati, aut cui hominum generi magis ille eſſet aptus. Mira omnino ſunt, quae de illius prudentia, urbanitate, lepore & moribus prorſus commodiſſimis praedicat Politianus (216); quare Laurentius ſive animi cauſſa ruſticaretur, ſive valetudinis ergo ad balneas iret, Francum ſibi adducebat comitem, cujus lepore quaſi recrearetur. Multum etiam ſtudii adhibuit, ut bona gener in Etruria haberet, ut ibi in honore eſſet, aliiſque poſſeſſionibus a Pontifice ditaretur (217). Neceſſe enim erat vincere hujus tardam naturam, ob quam vel ea, quae cupiebat, ita frigide curabat, ut nolle exiſtimaretur. Nullam quoque praetermiſit occaſionem benefaciendi ceteris generis ſuis, qui omnes non ſecus ac liberi propter indulgentiam ſingularem vita illi erat cariores. Satis ſupra declaravimus quantum laboravit in educandis inſtituendiſque filiis, qui ut vehementius ſtimularentur atque excitarentur ad colendas amandaſque litteras, domi alebat anagnoſtas optimos, plurimos librarios, ut ne pediſſequus quidem unus eſſet, qui non utrumque horum pulchre facere poſſet. Pari modo artifices ceteri, quos cultus domeſticus deſide-

rat, apprime boni. Erat ei ab epiſtolis Petrus e Bibiena vir dexteritate & prudentia ſingulari, cui libentiſſime omnia conſilia ſua concredebat, quemque ad omnes res tum publicas tum privatas adhibebat. Erat quoque ex domeſticis & intimis familiaribus Mediceorum Americus Veſpuccius, ad quem extant litterae Laurentii, antequam ille in Americam proficiſceretur. Reliqua familia, ſi utilitate judicandum eſt, optima, ſi forma vix mediocris; nam, ut diximus, liberalitati & beneficentiae libenter parebat, privatae luxuriae non item. Poſtquam honoribus jam ſaturatus eſſet, & aetas jam a diuturnis laboribus devexa ad otium domeſticarum illum rerum delectatione molliverat, viſa eſt ipſi quidem degendae vitae ratio praeſertim placuiſſe, quae eſt poſita in contemplatione & cognitione rerum, quae quia tranquilla & quieta & ſuperorum vitae ſimillima, ſapiente habita ſemper fuit digniſſima. Atque hac de re ſplendida eſt illius & illuſtris oratio cum Marſilio Ficino. *Quod eſt praeſtantiſſimum*; ajebat ille, *maximeque optabile omnibus bonis & beatis, quam cum dignitate otium? Hoc qui volunt omnes optimates, qui efficiunt ſummi viri, & conſervatores civitatis putantur; neque enim rerum gerendarum dignitate homines efferri ita convenit, ut otio non proſpiciant, neque ullum amplexari otium, quod abhorreat a dignitate. Profecto ſi hanc, quam uſque adhuc ſecutus ſum, viam, aut aſperam, aut arduam, aut plenam periculorum & inſi-*

diarum negem, mentiar. Sed juvit proſpexiſſe commodis utilitatique Reipublicae, quae, niſi me fallit, in eo nunc ſtatu poſita eſt, ut florentiſſimis poſſit comparari. Neque minus conſului dignitati & fortunis familiae, cum mihi ſemper ante oculos obverſaretur Coſmi avi imago, qui utrumque praeſtitit egregie, ſic ut in adminiſtranda Republica gubernandaque familia animum & mentem meam cogitatione hominis excellentiſſimi conformaverim. Mihi igitur perfuncto curis & laboribus nihil reſtare videtur, niſi ut otio meo, dignitate optimi cujuſque, & univerſae Reipublicae gloria delecter. Sed non tam otioſae dignitatis ſtudium, quam valetudinis incommoda cauſſa erant, quare cuperet ſe publicis negotiis & curis exonerari. Laboraverat vel ab adoleſcentia renum & ſtomachi doloribus, quos aut ſanaverat aut certe levaverat balneorum uſu; & Porettana & Senenſia maxime ei ſalutaria fuere. Sed morbus identidem recrudeſcebat, qua de re conſulti medici, qui ea tempeſtate prudentiores putabantur, ea reſponderunt, quae declarant quantis tum involuta tenebris & erroribus, verborumque inanium circuitu eſſet medicina (218). Tanta demum vis morbi erupit, ut convaleſcere & ſanari deſperaverit. Hoc malum eumdem praeſenſiſſe ex iis verbis conjici poteſt, quae, diſcedente Joanne Cardinali Romam, flens & quaſi divinans ad aſſeclas ejus Valorium & Cambinium fecit: *commendo*, inquit, *vobis aetatem filii & dignitatem civitatis: nihil de me addo*

quem nunc poſtremum videtis. Neque multo poſt ſe in Careggianum contulit, ubi per menſem ſatis quiete vixit cum familiaribus ſuis. Habuit hoc maxime tempore ſecum viros doctrina & religione inſignes, hos, ſi quis ſcrupulus animo ſuo ſe ſe de anteacta vita offerret, quotidie conſulens. Saepe quoque ad eum veniebant, extremum ſpiritum excepturi hominis, in quo majeſtas Reipublicae vivere videbatur, primores civium, quos cum videbat, iis liberos ſuos amantiſſimis verbis commendabat, hortabaturque, ut per ipſos civitas opibus firma, copiis locuples, gloria ampla, virtute honeſta eſſet, cujus operis, maximi inter homines atque optimi, Petrum etiam filium effectorem fore non deſperabat. Quapropter illi aſſidue ſaluberrima conſilia dabat, ea praeſertim exquirens, quae ad concordiam civium & ad univerſae Italiae tranquillitatem conſervandam pertinebant. Quod ipſe multos noverat, quibus periculoſa & callida conſilia quietis & cogitatis & ſplendidiora & majora videbantur, alioſque, quibus antiquiora omnia, quam decus & patriae caritas, (illi enim erant mores Florentinorum, ut admixta plebi nobilitate facillime partibus ac ſeditionibus inficerentur, nec Reipublicae pondus ſuſtinere, neque ſervitutis jugum pati poſſe viderentur) quomodo hi molliendi ac deliniendi eſſent docebat, ac vere ſaepe praedicebat quanta eſſent metuenda pericula & mala, ſi quis forte aut

tranſalpina aut tranſmarina copiarum auxilia exquireret. Sed haec quamvis vehementer illum tangebant, major tamen cura ſollicitabat quomodo divinum Numen peccatis violatum precibus placaret. Multarum rerum, quae illius mortem comitatae ſunt, teſtem & narratorem adhibebo Politianum, quod vir fideliſſimus ab ejusdem lectulo nunquam diſceſſerit, & quod cum ſenſu amoris & doloris, & verborum elegantia ſuam narrationem contexuerit. Sic enim ait, ad Jacobum Antiquarium hominem omni doctrina ornatiſſimum ſcribens. *Vulgare eſt, ut qui ſerius paulo ad amicorum litteras reſpondeant, nimias occupationes ſuas excuſent. Ego vero quo minus mature ad te reſcripſerim, non tam culpam confero in occupationes, quanquam ne ipſae quidem defuerunt, quam in acerbiſſimum potius hunc dolorem, quem mihi ejus viri obitus attulit, cujus patrocinio nuper unus ex omnibus litterarum Profeſſoribus & eram fortunatiſſimus & habebar. Illo igitur nunc extincto, qui fuerat unicus autor eruditi laboris, videlicet ardor etiam ſcribendi noſter extinctus eſt, omniſque prope veterum ſtudiorum alacritas elanguit. Sed ſi tantus amor caſus cognoſcere noſtros, & qualem ſe ille vir in extremo quaſi vitae actu geſſerit audire, quanquam & fletu impedior, & a recordatione ipſa, quaſique retractatione doloris abhorret animus ac reſilit, obtemperabo tamen tuae tantae ac tam honeſtae voluntati, cui deeſſe pro inſtituta inter nos amicitia neque volo, neque*

Digitized by Google

poſſum. Nam profecto ipſemet mihi nimium & incivilis videret, & inhumanus, ſi tibi & tali viro & mei tam ſtudioſo rem auſim prorſus ullam denegare. Ceterum quoniam de quo tibi a nobis ſcribi poſtulas, id ejusmodi eſt, ut facilius ſenſu quodam animi tacito & cogitatione comprehendatur, quam aut verbis, aut litteris exprimi poſſit, hac lege tibi jam nunc obſequium noſtrum aſtringimus, ut neque id polliceamur quod implere non poſſimus, & ſi quid tamen poſſimus, tua certe cauſſa non recuſemus. Laboraverat igitur circiter menſes duos Laurentius Medices e doloribus iis, qui quoniam viſcerum cartilagini inhaereant, ex argumento hypochondrii appellantur. Hi tametſi neminem ſua quidem vi jugulant, quoniam tamen acutiſſimi ſunt, etiam jure moleſtiſſimi perhibentur. Sed enim in Laurentio fato ne dixerim an inſcitia incuriaque medentium id evenit, ut dum curatio doloribus adhibetur, febris una omnium inſidioſiſſima contracta ſit, quae ſenſim illapſa, non quidem in arterias aut venas, ſicuti caeterae ſolent, ſed in artus, in viſcera, in nervos, in oſſa quoque & medullas incubuerit. Ea vero quod ſubtiliter ac latenter, quaſique lenibus veſtigiis irrepſerat, parum primo animadverſa: dein vero cum ſatis magnam ſui ſignificationem dediſſet, non tamen pro eo ac debuit, diligenter curata, ſic hominem debilitaverat prorſus atque afflixerat, ut non viribus modo, ſed corpore etiam pene omni amiſſo & conſumpto diſtabeſceret. Quare pridie, quam

naturae

naturae ſatisfaceret, cum quidem in villa Caregia cubaret aegre, ita repente concidit totus, nullam ut jam ſuae ſalutis ſpem reliquam oſtenderet. Quod homo, ut ſemper cautiſſimus, intelligens, nihil prius habuit, quam, ut animae medicum accerſeret, cui de contractis tota vita noxiis Chriſtiano ritu confiteretur. Quem ego hominem poſtea mirabundum ſic prope audivi narrantem, nihil ſibi unquam neque majus, neque incredibilius viſum, quam quomodo Laurentius conſtans paratuſque adverſus mortem, atque imperterritus & praeteritorum meminiſſet, & praeſentia diſpenſaſſet, & de futuris item religioſiſſime prudentiſſimeque caviſſet. Nocte dein media quieſcenti, meditantique Sacerdos adeſſe cum Sacramento nunciatur: ibi vero excuſſus, procul, inquit, a me hoc abſit, patiar, ut Jeſum meum, qui me finxit, qui me redemit ad uſque cubiculum hoc venire: tollite hinc obſecro me quam primum, tollite, ut Domino occurram. Et cum dicto ſublevans ipſe ſe quantum poterat, atque animo corporis imbecillitatem ſuſtentans, inter familiarium manus obviam ſeniori ad aulam uſque procedit, cujus ad genua prorepens, ſupplexque ac lacrimans: Tu ne, inquit, mitiſſime Jeſu, tu nequiſſimum hunc ſervum tuum dignaris inviſere? At quid dixi ſervum? Imo vero hoſtem potius, & quidem ingratiſſimum, qui tantis abs te cumulatus beneficiis, nec tibi dicto unquam audiens fuerim, & tuam toties Majeſtatem deſererim. Quod ego te per illam, qua genus

omne hominum complecteris, charitatem, quaeque te caelitus ad nos in terram deduxit, noſtraeque humanitatis induit involucris, quae famem, quae ſitim, quae frigus, aeſtum, labores, irriſus, contumelias, flagella & verbera, quae poſtremo etiam mortem crucemque ſubire te compulit: per hanc ego te, ſalutifer Jeſu, quaeſo obteſtorque, avertas faciem a peccatis meis, ut cum ante tribunal tuum conſtitero, quo me jamdudum citari plane ſentio, non mea fraus, non culpa plectatur, ſed tuae crucis meritis condonetur. Valeat, valeat in cauſſa mea ſanguis ille tuus, Jeſu, pretioſiſſimus, quem pro aſſerendis in libertatem hominibus in ara illa ſublimi noſtrae redemptionis effudiſti. Haec atque alia cum diceret lacrimans ipſe, lacrimantibuſque, qui aderant, univerſis, jubet eum tandem Sacerdos attolli, atque in lectulum ſuum, quo Sacramentum commodius adminiſtraretur, referri. Quod ille cum aliquandiu facturum negaſſet, tamen ne ſeniori ſuo foret minus obſequens, exorari ſe paſſus, iteratis ejusdem ferme ſententiae verbis, Corpus ac Sanguinem Dominicum plenus jam ſanctitatis, & divina quadam majeſtate verendus accepit. Tum conſolari Petrum filium (nam reliqui aberant) exorſus, ferret aequo animo vim neceſſitatis admonebat, non defuturum caelitus patrocinium, quod ne ſibi quidem unquam in tantis rerum fortunaeque varietatibus defuiſſet, virtutem modo & bonam mentem coleret; bene conſulta bonos eventus paritura. Poſt illa contempla-

bundus aliquandiu quievit: excluſis dein ceteris, eumdem ad ſe natum vocat, multa monet, multa praecipit, multa edocet, quae nondum foras emanarunt, plena omnia tamen (ſicuti audivimus) & ſapientiae ſingularis & ſanctimoniae, quorum tamen unum, quod nobis ſcire quidem licuerit, adſcribam. Cives, inquit, mi Petre, ſucceſſorem te meum haud dubie agnoſcent. Nec autem vereor, ne non eadem futurus auctoritate in hac Republica ſis, qua nos ipſi ad hanc diem fuerimus. Sed quoniam civitas omnis corpus eſt, quod ajunt, multorum capitum, neque mos geri ſingulis poteſt, memento in ejusmodi varietatibus id conſilium ſequi ſemper, quod eſſe quam honeſtiſſimum intelliges, magisque univerſitatis, quam ſeorſum cujusque rationem habeto. Mandavit & de funere, ut ſcilicet avi Coſmi exemplo juſta ſibi fierent, intra modum videlicet eum, qui privato conveniat. Venit dein Ticino Lazarus veſter, medicus, ut quidem viſum eſt, experientiſſimus: qui tamen ſero advocatus, ne quid inexpertum relinqueret, precioſiſſima quaedam gemmis omne genus, margaritiſque conterendis, medicamenta tentabat. Quaerit ibi tum ex familiaribus Laurentius, jam enim admiſſi aliquot fueramus, quid ille agitaret medicus, quid moliretur. Cui cum ego reſpondiſſem epithema eum concinnare, quo praecordia foverentur, agnita ille ſtatim voce, ac me hilare intuens, ut ſemper ſolitus, heus, inquit, heus, Angele, ſimul brachia jam exhauſta viribus aegre attol-

lens, manus ambas arctiſſime prehendit. Me vero ſingultus lacrimaeque cum occupaviſſent, quas celare tamen rejecta cervice conabar, nihilo ille commotior, etiam atque etiam manus retentabat. Ubi autem perſenſit fletu adhuc praepediri me, quo minus ei operam darem, ſenſim ſcilicet eas, quaſique diſſimulanter omiſit. Ego me autem continuo in penetrale thalami conjicio flentem, atque habenas, ut ita dicam, dolori & lacrimis laxo. Mox tandem revertor eodem, ſiccatis quantum licebat, oculis. Ille ubi me vidit, vidit autem ſtatim, vocat ad ſe rurſum, quaeritque perblande quid Picus Mirandula ſuus ageret. Reſpondeo manere eum in urbe, quod vereatur ne illo, ſi veniat, moleſtior ſit. At ego, inquit viciſſim ni verear ne moleſtum ſit ei hoc iter, videre atque alloqui extremum exoptem, priuſquam plane a vobis emigro. Vin tu, inquam, accerſatur? Ego vero, ait ille, quam primum. Ita ſane facio: venerat jam, aſſederat, atque ego quoque juxta genibus incubueram, quo loquentem patronum facilius, utpote defecta jam vocula, exaudirem. Bone Deus, qua ille hunc hominem comitate, qua humanitate, quibus etiam quaſi blanditiis excepit! Rogavit primo ignoſceret, quod ei laborem hunc injunxiſſet, amori hoc tamen, & benevolentiae in illum ſuae adſcriberet; libentius ſe ſe animam editurum, ſi prius amiciſſimi hominis aſpectu morientes oculos ſatiasſet. Tum ſermones injecit urbanos, ut ſolebat, & familiares. Non nihil etiam tunc quoque jocatus nobiſcum,

quin utrosque intuens nos: vellem, ait, diſtuliſſet me ſaltem mors haec ad eum diem, quo veſtram plane bibliothecam abſolviſſem. Ne multis, abierat vix dum Picus, cum Ferrarienſis Hieronymus, inſignis & doctrina & ſanctimonia vir, caeleſtisque doctrinae praedicator egregius, cubiculum ingreditur, hortatur ut fidem teneat: ille vero tenere ſe ait inconcuſſam: ut quam emendatiſſime poſthac vivere deſtinet; ſcilicet facturum obnixe reſpondit: ut mortem denique, ſi neceſſe ſit, aequo animo tolleret; nihil vero, inquit ille, jucundius, ſi quidem ita Deo decretum ſit. Recedebat homo jam, cum Laurentius, heus, inquit, benedictionem Pater, priusquam a nobis proficiſceris. Simul demiſſo capite vultuque, & in omnem piae religionis imaginem formatus, ſubinde ad verba illius & preces rite ac memoriter reſponſitabat, ne tantillum quidem familiarium luctu aperto jam, neque ſe ulterius diſſimulante commotus. Diceres indictam ceteris, uno excepto Laurentio, mortem. Sic ſcilicet unus ex omnibus ipſe nullam doloris, nullam perturbationis, nullam triſtitiae ſignificationem dabat; conſuetumque animi vigorem, conſtantiam, aequabilitatem, magnitudinem, ad extremum uſque ſpiritum producebat. Inſtabant medici adhuc tamen, & ne nihil agere viderentur, officioſiſſime hominem vexabant, nihil ille tamen aſpernari, nihil averſari, quod illi modo obtuliſſent; non quidem quoniam ſpe vitae blandientis illiceretur, ſed ne quem forte moriens vel leviſſime perſtringeret. Adeoque for-

tis ad extremum praeſtitit, ut de ſua quoque ipſius morte nonnihil cavillaretur; ſicuti cum porrigenti cuidam cibum, rogantique mox quam placuiſſet, reſpondit: quam ſolet morienti. Poſt id blande ſingulos amplexatus, petitaque ſuppliciter venia, ſi cui gravior forte, ſi moleſtior morbi vitio fuiſſet, totum ſe poſt illa perunctioni ſummae, demigrantiſque animae commendationi dedidit. Recitari dein evangelica hiſtoria coepta eſt, qua ſcilicet irrogati Chriſto cruciatus explicantur, cujus ille agnoſcere ſe verba & ſententias prope omnes, modo labra tacitus movens, modo languentes oculos erigens, interdum etiam digitorum geſtu ſignificabat. Poſtremo ſigillum crucifixi argenteum, margaritis gemmiſque magnifice adornatum defixis uſquequaque oculis intuens, identidemque deoſculans expiravit. Vir ad omnia ſumma natus, & qui flantem reflantemque toties fortunam uſque adeo ſit alterna velificatione moderatus, ut neſcias utrum ſecundis rebus conſtantior, an adverſis aequior, ac temperantior apparuerit. Ingenio vero tanto ac tam facili & perſpicaci, ut quibus in ſingulis excellere alii magnum putant, ille univerſis pariter emineret. Nam probitatem, juſtitiam, fidem nemo arbitror neſcit, ita ſibi Laurentii Medicis pectus atque animum quaſi gratiſſimum aliquod domicilium, templumque delegiſſe. Jam comitas, humanitas, affabilitas quanta fuerit, eximia quadam in eum totius populi, atque omnium plane ordinum benevolentia declaratur. Sed enim

inter haec omnia liberalitas tamen & magnificentia explendeſcebat, quae illum pene immortali quadam gloria ad Deos uſque provexerat: cum interim nihil ille famae duntaxat cauſſa & nominis, omnia vero virtutis amore perſequebatur. Quanto autem litteratos homines ſtudio complectebatur, quantum honoris, quantum etiam reverentiae omnibus exhibebat, quantum denique operae induſtriaeque ſuae conquirendis toto orbe terrarum coemendiſque linguae utriuſque voluminibus poſuit, quantoſque in ea re, quam immanes ſumptus fecit, ut non aetas modo haec, aut hoc ſaeculum, ſed poſteritas etiam ipſa maximam in hujus hominis interitu jacturam fecerit. Ceterum conſolantur nos maximo in luctu liberi ejus tanto patre digniſſimi. Quorum, qui maximus natu, Petrus vix dum primum & vigeſimum ingreſſus annum, tanta jam & gravitate & prudentia & auctoritate molem totius Reipublicae ſuſtentat, ut in eo ſtatim revixiſſe genitor Laurentius exiſtimetur. Alter annorum duodeviginti Joannes & Cardinalis ampliſſimus (quod nunquam cuiquam id aetatis contigerit) & idem Pontifici Maximo non in Eccleſiae Patrimonio duntaxat, ſed in patriae quoque ſuae ditione Legatus, talem tantumque ſe jam tam arduis negotiis gerit & praeſtat, ut omnium in ſe mortalium oculos converterit, atque incredibilem quamdam, cui reſponſurus planiſſime eſt, expectationem concitaverit. Tertius porro Julianus, impubes adhuc, pudore tamen ac venuſtate,

neque non probitatis & ingenii mirifica quadam ſuaviſſimaque indole totius ſibi jam civitatis animos devinxit. Verum ut de aliis in praeſenti taceam, de Petro certe ipſo cohibere me non poſſum, quin recenti re teſtimonium hoc loco paternum adſcribam. Duobus circiter ante obitum menſibus cum in ſuo cubiculo ſedens, ut ſolebat Laurentius, de philoſophia & litteris nobiſcum fabularetur, ac ſe deſtinaſſe diceret, reliquam aetatem in iis ſtudiis mecum, & cum Ficino, Picoque ipſo Mirandula conſumere, procul ſcilicet ab urbe & ſtrepitu, negabam equidem hoc ei per ſuos cives licere, qui quidem in dies viderentur magis magisque ipſius & conſilium & auctoritatem deſideraturi. Tum ſubridens ille, atqui jam, inquit, vices noſtras alumno tuo delegabimus, atque in eum ſarcinam hanc, & onus omne reclinabimus. Cumque ego rogaſſem, an adhuc in adoleſcente tantum virium deprehendiſſet, ut eis bona fide incumbere jam poſſemus: ego vero, ait ille, quanta ejus & quam ſolida video eſſe fundamenta, laturum ſpero haud dubie quicquid inaedificavero. Cave autem putes, Angele, quenquam adhuc ex noſtris indole fuiſſe tanta, quantam jam Petrus oſtendit, ut ſperem fore atque adeo augurer, niſi me ipſius ingenii aliquot jam experimenta fefellerint, ne cui ſit majorum ſuorum conceſſurus. Atque hujus quidem judicii praeſagiique paterni magnum profecto & clarum ſpecimen hoc nuper dedit, quod aegrotanti praeſto fuit ſemper, omnia-

que

que per ſe pene etiam ſordida miniſteria obivit, vigiliarum patientiſſimus & inediae, nunquamque a lectulo ipſo patris, niſi cum maxime Reſpublica urgeret, avelli paſſus. Et cum mirifica pietas extaret in vultu, tamen ne morbum, aut ſolicitudinem paternam moerore ſuo adaugeret, gemitus omnes & lacrimas incredibili virtute quaſi devorabat. Porro autem quod unum triſtiſſima in re pulcherrimum ceu ſpectaculum videbamus, invicem pater quoque ipſe, ne triſtiorem filium triſtitia ſua redderet, frontem ſibi ex tempore velut aliam fingebat, ac fluentes oculos in illius gratiam continebat, nunquam aut conſternatus animo aut fractus, donec ante ora natus obverſaretur. Ita uterque certatim vim facere affectibus ſuis, ac diſſimulare pietatem pietatis ſtudio nitebatur. Ut autem Laurentius e vita deceſſit, dici vix poteſt quanta & humanitate & gravitate cives omnes ſuos Petrus noſter ad ſe domum confluentes exceperit, quam & appoſite & varie & blande etiam dolentibus conſolantibuſque pro tempore, ſuamque operam pollicentibus reſponderit; quantam deinde & quam ſolertem rei conſtituendae familiari curam impenderit, ut neceſſitudines ſuas omnes graviſſimo caſu perculſas ſublevarit, ut vel minutiſſimum quemque ex familiaribus dejectum, diffidentemque ſibi adverſis rebus collegerit, erexerit, animaverit, ut in obeunda quoque Republica nulli unquam aut loco, aut tempori, aut muneri, aut homini defuerit, nulla denique in parte ceſſaverit. Sic ut eam

Digitized by Google

plane inſtitiſſe jam viam, atque ita pleno gradu iter ingreſſus videatur, brevi, ut putetur, parentem quoque ipſum veſtigiis conſecuturus. De funere autem nihil eſt quod dicam. Tantum ad avi exemplum ex praeſcripto celebratum eſt, quemadmodum ipſe, ut dixi, moriens mandaverat. Tam magno autem omnis generis mortalium concurſu, quam magnum nunquam ante meminerimus. Prodigia vero mortem ferme haec anteceſſerunt, quanquam alia quoque vulgo feruntur. Nonis Aprilibus hora ferme diei tertia, triduo ante quam animam edidit Laurentius, mulier neſcio quae, dum in aede ſacra Mariae Novellae, quae dicitur, declamitanti e pulpito dat operam, repente inter confertam populi multitudinem expavefacta, conſternataque conſurgit, lymphatoque curſu, & terrificis clamoribus: heus, heus, inquit, cives an hunc non cernitis ferocientem taurum, qui templum hoc ingens flammatis cornibus ad terram dejicit? Prima porro vigilia, cum caelum nubibus de improviſo foedaretur, continuo Baſilicae ipſius maximae faſtigium, quod opere miro ſingularem toto terrarum orbe teſtudinem ſupereminet, tactum de caelo eſt, ita ut vaſtae quaepiam dejicerentur moles, atque in eam potiſſimum partem, qua Mediceae conviſuntur aedes, vi quadam horrenda & impetu marmora immania torquerentur. In quo illud etiam praeſcito non caruit, quod inaurata una pila, quales aliaeque in eodem faſtigio conſpiciuntur, excuſſa fulmine eſt, ne non ex ipſo quoque inſigni pro-

prium ejus familiae detrimentum portenderetur. Sed & illud memorabile, quod ut primum detonuit, ſtatim quoque ſerenitas reddita. Qua autem nocte obiit Laurentius, ſtella ſolito clarior ac grandior ſuburbano imminens, in quo is animam agebat, illo ipſo temporis articulo decidere, extinguique viſa, quo compertum deinde eſt eum vita demigraſſe. Quin excurriſſe etiam faces trinoctio perpetuo de Feſulanis montibus, ſupraque id templum, quo reliquiae conduntur Mediceae gentis, ſcintillaſſe nonnihil, moxque evanuiſſe feruntur. Quid? quod & leonum quoque nobiliſſimum par, in ipſa, qua publice continentur, cavea, ſic in pugnam ferociter concurrerit, ut alter peſſime acceptus, alter etiam letho ſit datus. Arretii quoque ſupra arcem ipſam geminae perdiu arſiſſe flammae, quaſi caſtores feruntur, ac lupa identidem ſub moenibus ululatus terrificos edidiſſe. Quidam illud etiam (ut ſunt ingenia) pro monſtro interpretantur, quod excellentiſſimus, ita enim habebatur, hujus aetatis medicus, quando ars eum, praeſcitaque fefellerant, animum deſponderit, puteoque ſe ſponte demerſerit, ac Principi ipſi Mediceae, ſi vocabulum ſpectes, familiae ſua nece parentaverit. Sed video me, cum quidem multa & magna reticuerim, ne forte in ſpeciem adulationis inciderem, longius tamen provectum, quam a principio inſtitueram. Quod ut facerem, partim cupiditas ipſa obſequendi, obtemperandique tibi optimo, doctiſſimo, prudentiſſimoque homini, mihique amiciſſimo, cujus quidem ſtu-

Digitized by Google

dio ſatisfacere brevitas ipſa in tranſcurſu non poterat, partim etiam amara quaedam dulcedo quaſique titillatio impulit recolendae, frequentandaeque ejus viri memoriae, cui ſi parem ſimilemque noſtra aetas unum forte atque alterum tulit, poteſt audacter jam de ſplendore nominis & gloria, cum vetuſtate quoque ipſa contendere. Vale XV. *Kalendas Junias* MCCCCXCII. *in Faeſulano ruſculo.* Interitu tanti viri dignitatem Reipublicae Florentinae diminutam omnes dolebant: alieniſſimo Reipublicae tempore extinctus & auctoritatis & prudentiae ſuae triſte omnibus deſiderium reliquit. Nullus Italicorum non modo, ſed etiam Europaeorum Principum extitit, qui aut ad Petrum filium, aut ad Senatum litteras doloris plenas non ſcripſerit ob Laurentii interitum, quaſi cum eo ſpes omnes concidiſſent (219). Miſit Florentiam Romanus Pontifex oratores ſuos, miſit Neapolitanorum Rex Ferdinandus, qui certior factus de morte Laurentii ita aulicos, qui illum circumſtabant, allocutus dicitur. *Satis ſibi vir immortalitate digniſſimus vixit, ſed parum Italiae. Utinam nequis, eo ſublato, moliatur quae, vivo, tentare auſus non fuiſſet.* Quo dicto eum indicaſſe ac praevidiſſe puto temeraria conſilia Ludovici Sfortiae, qui in Italiae univerſae exitium ſuam dominandi cupiditatem vertere non dubitavit. Et ſane quis ignorat ob adventum Gallorum Provinciam florentiſſimam ea paſſam eſſe, quae crudeliorum animos potuiſſent commovere, expulſam

ſuis ſedibus Mediceorum familiam, Rempublicam pene deletam, terrore, luctu ubique paſſim omnia completa? Vel ea ipſa litterarum & artium Graecarum Latinarumque monumenta infinito labore ac ſumptu undique a Laurentio comparata, quae non uni modo domui, ſed univerſae etiam civitati ſingulari erant ornamento, minime inimicorum ferociam & immanitatem cohibuerunt, ſic ut in tanta rerum omnium everſione atque ruina quilibet ſuo fletu deſiderium Laurentii memoriamque renovaret. Miſeri, afflicti, aerumnoſi, calamitoſi omnes ii doctrina praeſtantes viri, quibus ſplendor Laurentii virtutis inluxerat, hoc extincto, illam, quam tum vivebant, non eſſe vitam arbitrabantur; quare moerore magis, quam morbis confecti non multo poſt obiere Politianus, Ficinus, Mirandula, Landinius, & qui Patavio accitus fuerat, ubi medicinam docebat, ut remedia aegro Laurentio adhiberet, Petrus Leonius, doloris impetum non ſuſtinens, in puteum ſeſe conjecit. Non me latet multorum ac praeſertim Actii Synceri Sannazarii opinionem fuiſſe id Petri Medicis ſaevitiae tribuendum, & patratae ab eo necis argumentum eſſe poenam, quam ſuo parem ſceleri ipſe ſuſcepit: nam a clade Gallorum ad Lyrim auſugiens vi tempeſtatis fluctibus jactatus ipſo in oſtio naufragium fecit. Sed ego potiſſimum Politiano credo, qui ſponte ait ſibi mortem Leonium conſciviſſe. Homo enim, qui non obſcure valetudinem Lauren-

tio praedixerat (ariolorum autem & vatum more inſanae praedictiones ei perplacebant) qui inſimulabatur periculoſam & ancipitem curationem adhibuiſſe, quique ſentiebat omnium propterea in ſe odium & maledicta convertiſſe, uſque eo commotus eſt, ut ſe ipſum furentem continere minime potuerit (220). Porro quam Laurentius civitati carus eſſet moerore funeris declaratum eſt. Ejus cadaver e Caregiano, ubi ille vitam finivit hora quinta noctis VI. id. Apriles an. MCCCCXCII. ad Florentinam Baſilicam S. Laurentii poſtridie a primoribus Magiſtratibus tranſportatum, tantis honoris & doloris declarationibus univerſus populus proſecutus eſt, perinde ac ſi communi parenti atque patriae conſervatori eſſet parentandum. Sic luctus ſuorum, atque Patriae moeror (221) ſola exequiarum pompa fuit; nam cetera, quae luxus excogitavit, aberant, cum ſic ipſe, paullo antequam moreretur, praeſcripſiſſet. Ne ſepulcri quidem monumentum illi poſitum fuit, conditumque cadaver creditur ad eam partem ſacrarii Laurentiani, in qua veſtes atque omne inſtrumentum ſacrificale ſumunt ſacra facturi. Eo quidem in loco Leonem X., quando is Florentiam advenit, aliquandiu conſtitiſſe veniam atque pacem cariſſimo parenti a Deo Optimo Maximo precaturum, teſtis eſt Paris Graſſius, qui Pontifici erat a caeremoniis. Statura fuit juſta, uſu atque natura robuſtus, & in univerſo corpore muſculoſus. In facie plurimum erat dignitatis,

venuſtatis nihil; depreſſae nares, vox rauca, color ſublividus, hebetes oculi, omniſque privatio olfactus accuſare videbantur maleficium naturae, quod haec non aeque liberalis fuerit in corporis atque in ingenii bonis illi tribuendis. Et ſane quidquid in perſpicientia veri ſolertiaque verſabatur, proprium adeo illius erat, ut multi affirmaverint, neminem mentis, qua praeditus erat, aciem non dicam aſſequi, ſed quanta fuerit plane intelligere potuiſſe. Vigilans, ſobrius & induſtrius vir multa uno eodemque tempore ſuſcipiebat; nihil tamen faciebat niſi diu conſideratum & multo ante meditatum; nec verbum ullum unquam ei ex ore excidebat fortuito. *Sint ſemper* (ſcribebat aliquando ad Petrum filium) *omnia homini humana meditata, neque adeo confidendum propriae ſententiae, quin exquirantur prudentiorum conſilia;* qua in re poterat ſe ipſum tanquam exemplar ad imitandum proponere, quod domus ejus ſemper plena eſſet conſultoribus optimis, cum quibus res ſuas omnes libentiſſime communicaret. Caeſarem imitatus gravitatem mitigabat atque relaxabat facilitate incredibili, ſic ut in eo ſpecimen quoddam appareret humanitatis, ſalis, ſuavitatis atque leporis. Multa ab eo breviter & commode & lepide dicta memoriae mandata ſunt, ex quibus pauca ſeligemus ad ingenium hominis declarandum. Carolus ejus gentilis male audiebat, quod furax eſſet. Huic affirmanti aquas ſibi in villa cete-

Digitized by Google

ris lucidiores & abundantiores eſſe: *ſi ita eſſet*, inquit Laurentius, *manus haberes nitidiores*. Alterum, qui eodem vitio laborabat, cum ad convivium invitaſſet, ita increpaſſe dicitur; *manus lava & coena*. Cum Bartholomaeus Soccinius Senenſis quereretur in convivio de Florentini aeris tenuitate, quod oculis officeret, ad carpendos eos & Laurentium, qui minus bonis utebatur; *verum eſt*, *quod ais*, *mi Soccini*, reſpondit, *ſed Florentiae diſtillatio oculos offendit*, *Senis caput & cerebrum*. Omnibus praeſtare putabatur in ironia diſſimulantiaque, quod eſt genus perelegans & cum gravitate ſalſum, & urbanis ſermonibus accommodatiſſimum. Belle etiam utebatur jocis familiaribus in admonitione, & riſum facile movebat vel expectationibus decipiendis, vel naturis & vitiis aliorum irridendis, vel ſubabſurda dicendo & ſtulta reprehendendo, aliiſque hujusmodi generibus, quae verbi ratione & vi continentur. Erant illi quoque congreſſus cum iis, qui ſalibus & facetiis excellere putabantur; & luſiſſe eum interdum cum Dominico Burchiellio, cujus carmina nimis fortaſſe ſtulte majores noſtri laudavere, ſcriptum invenio. Jocis praeſertim operam dabat, cum rus ex urbe tanquam ex vinculis evolaret. Tum enim geſtiebat ad omnem animi remiſſionem ludumque deſcendere. Verum ſi, ut ait ille (222) *temperatae ſuaves ſunt argutiae*, *immodicae offendunt*, non magnopere probabis illam, qua Manentis medici, ſi fides tamen

eſt

eſt habenda fabularum narratori (223), petulantiam coarguit & emendare ſtuduit. Omnino talis erat Laurentius, ut neſcias utrum in eo magis laudaveris vel in conſilio capiendo gerèndiſque rebus publicis prudentiam atque conſtantiam, vel in omni vitae actione dignitatem atque ſplendorem, an in congreſſionibus humanitatem atque urbanitatem. Quos mores maxime conducere putavit ad tria obtinenda, quae ſibi in primis propoſuiſſe dicebat, patriae decus, familiae amplitudinem, incrementum artium optimarum. Unde ad laudandum etſi magna copia argumentorum depromi poſſit, ſuſpicienda tamen maxime putamus, quae pro optimis diſciplinis ipſe geſſit, quod eorum utilitas ad nos uſque dimanaverit. Nemo ignorat quanto in ſqualore ſordibuſque diu jacuerit Scholaſticorum opera laudandarum omnium artium procreatrix & quaſi parens philoſophia. Qui hanc profitebantur ad ſummam impudentiam ineptiſſimi homines ineruditis abſurdiſque quaeſtionibus eam contaminaverant; & quamvis ſaepe in ore haberent veneranda Platonis ac praeſertim Ariſtotelis nomina, eorumqne teſtimoniis uterentur, nunquam tamen vel a limine ſalutaverant illorum ſcripta, & Barbarorum, qui haec perverterant, ineptiis contenti, ad omnem ſapientiam caeci videbantur. Ea propter Laurentius, Cosmi avi gloriam hac in re cum ſua laude communicans, effecit, ut nota eſſent omnibus aurea eorumdem volumina, non

Digitized by Google

ſolum vetuſtiſſimis codicibus conquiſitis, ſed etiam Latina interpretatione per viros doctiſſimos explicatis. Quod vero periculum erat ne homines aſſueti jugo Peripateticorum in omnia Ariſtotelis verba jurare pergerent, ſecutus exemplum Coſmi ipſius ita fovit Platonicam Academiam, ut per hanc tyrannis illa ſcholaſtica ſi non plane deleta, labefactata tamen plurimum fuerit. Parum quidem aut nihil additum illa aetate cognitioni atque ſcientiae rerum naturalium, ſed patefacta quodammodo via fuit, quae ferret deduceretque eo, quo homines veritatis cupidi intendebant. Jam quantum provecta fuerit aſtronomia per Laurentium Volpajam & Paullum Toſcanellam, qui ſane admirandas res organicas & gnomonicas poſteris reliquerunt, pluribus a Leonardo Ximeneſio (224), ad quem lectores delegamus, deſcriptum fuit. Neque mediocriter meritus eſt Laurentius de medicina atque hiſtoria naturali, quod deerrantes homines ad Hippocratis & Dioſcoridis libros antea aut ignoratos aut neglectos evolvendos invitaverit. Ea enim erat iniquitas temporum, ut nihil per ſe homines inquirerent, & glande quam inventis frugibus veſci mallent; & cum omnia pravis opinionibus corrupta eſſent, non tam diſcere quam dediſcere ingredientes ad naturae contemplationem oportebat. Viderat multos Laurentius in Etruria & audiverat, qui primoribus labris guſtaſſent, & extremis, ut dicitur, digitis attigiſſent genus illud

juris prudentiae, quod in perfecta cognitione legum & morum Romanorum verſatur, ſed dolens nullos extitiſſe, qui interioribus quibusdam litteris praediti & priſcam verborum vetuſtatem, & quae Graece ſcripta erant, & illa actionum genera, quae majorum conſuetudinem vitamque declarant, docte eruditeque explicaverint, acuit Politianum virum quidem ad omnia ſumma natum ad excudendum aliquid de Pandectis, quorum codex Triboniani manu, ſi Politianum ipſum audiamus, exaratus in Florentinae Curiae theſauris ferme deliteſcebat. Quanquam inchoaſſe potius aliquid, quam perfeciſſe videatur Politianus, quae tamen reliquit tanti pretii a viris doctis putantur, ut hi nullam non laudem tum Auctori tribuant, tum Laurentio, quod quaſi parens utiliſſimi operis fuerit (225). Illum quidem maxime tangebat quidquid redolebat antiquitatem, cujus ſtudium iis temporibus per ipſum maxime fuiſſe excultum vere mihi videor poſſe contendere. Jam quantum laboraverit, ut Latina lingua jampridem ſqualens & multa barbariei rubigine exeſa ad priſtinum rediret nitorem, ex iis, quae ipſe Latine ſcripſit, facile conjici poteſt (226). Cum vero Etruria plena eſſet Graecarum Latinarumque artium atque diſciplinarum, abundaretque optimis artificibus, qui illarum monumenta undique a Laurentio conquiſita typis in vulgus ederent (227), novas quotidie ille res quaerebat, in quibus doctorum hominum induſtriam ex-

Digitized by Google

erceret, tanquam ipſe quadam in ſpecula collocatus eſſet, ut populum Florentinum ſua vigilia ſuiſque ſumptibus glorioſum redderet. Quibus pro tantis rebus miror equidem publicum nullum extare inſigne honoris, nullum monumentum laudis. Neque ſane culpa vacant ſuperiores illi Medicei nominis Magni Duces, qui cum ampliſſimam fortunam Laurentio in primis deberent, nullam ejus rationem per annos amplius cc. habuere. Ita qui Coſmum II. juvenem, in quo neſcias utrum major eſſet imbecillitas corporis an animi, marmorea urna, ſigno aereo, gemmato pulvinari decoravere, iidem virum praeſtantiſſimum, gentis Mediceae, aetatis ſuae principem, omnium Italiae atque Europae conſiliorum quaſi arbitrum, antiſtitem philoſophiae atque artium optimarum in illis prope ſordibus jacere paſſi ſunt. Qui tamen locus ſapienti cuique nobilior longe videretur ſumptuoſiſſimo illo Mediceorum Principum mauſoleo, ſi quis modo in illo inſcriberet.

HIC IACET

LAVRENTIVS MEDICES

COSMI NEPOS

LEONIS PATER.

I N D E X

A

Academiae Florentina & Piſana 50. hujus vices translationeſque 54.

Acciajolius Angelus 17.

—— Donatus 24. 50. moritur 94.

—— Nerius 118.

Accoltus Franciſcus 51. 81.

Adornius Profper 91.

Albinius Joannes legatur ad Florentinos 130.

Albitius Raynaldus 2.

—— Thomas 113.

Albertus Leo Baptiſta 13. ejus opus de architectura & laudes 146. 147.

Alexandrius Jacobus 87.

Alfonſus Calabriae Dux ejus mores 26. conatus adverſus Florentinos 88. victoriae 89. 98. Senis imperium exercet 111. Venetis reſiſtit 121. ad Florentinos confugit 130. ejus dona Laurentio miſſa 145.

Alfonſus Rex I. 106. 125. 181.

Aloyſia Medicea 171.

Andronicus Theſſalonicenſis Joan. 55. 153.

Anguillara Diephaebus 96.

Antiquarius Jacobus 199.

Antonius Medices 171.

Appiani Plumbini Domini 181.

Aquilani deficiunt a Rege Neap. 129.

A Prato Veteri Bartholomaeus 51.

Aquila Joannes 51.

Aragonius Fridericus 103.

—— Joan. Card. 129.

Architectura quomodo a Laurentio exculta 145. de illa Alberti opus 146. 148.

Ariſtotelis interpretatio 217.

Argyropylus Jo. 7. 14. 55.

Aſculani a Pontifice deficiunt 180.

Ateſtinus Hercules 18. Florentinorum imperator 88. eos deſerit 89. ad ipſos redit 95. bello a Venetis tentatur 119. pacem cum iis facit 123.

—— Borſius 28.

Auguſtiniani novum coenobium a Laurentio obtinent 148.

Auximates a Pontifice deficiunt 174.

Digitized by Google

B

BAjazetes Turcarum Rex cum fratre bellum gerit 184.
Baldus Junior 51.
Baldovinettus Amorettus 117.
Balduccii Antonius & Franciſcus 117.
Baglionii Peruſini 133. a Laurentio ſuſtentati 179.
Bandinius Bernardus 51. 64. capitur 69. 118. interficitur 70.
Barbarus Hermolaus 153. 192.
Blanca Medicea 58.
Baſilaeenſe Concilium 82. 120.
Benignius Georgius 159.
Bentivolus Jo. 20. 73. 136. quae geſſerit in Faventinis motibus 177. a Laurentio excipitur 178.
Bentivola Franciſca 176. maritum interficit 177.
Bergominus Mediolanenſium Dux interficitur 178.
Bibiena Petrus 196.
Bona Galeatii Sfortiae uxor 36. poſt ejus mortem regnum adminiſtrat 90. queritur de Neapolitanorum injuriis 91.
Bonarrotius Michael Angelus 142. 143.
Borromaeus Jo. 58.
Borgia Caeſar 192.
Boſſius Matthaeus 148. 159.
Brutus Michael VII.
Bugiardinius Julianus 143.
Bulgarinius 53. 81.
Burchiellius Dominicus 216.

C

CAjani villa 117. 147.
Calcondylas Dometrius 55.
Calderinius Domitius 156.
Calliſtus Pontifex 105.
Cambinius 197.
Caniſianus Antonius 15.
—— Joannes 47.
Canti Carneſcialeſchi eorum origo 11.
Capponius Petrus 95.
—— Ginius 113.
Caraffa Diomedes Matalonae Comes 109.
Caregiana villa 164.
Carolus VIII. Gallorum Rex 143. 198.
Caſtellina capta a Neapolitanis 89.
Cibo Aruntes 125. Franciſcus Innoc. VIII. filius Magdalenam Laurentii filiam in matrimonium ducit 170. de occupando Plombino cogitat 181. beneficia Laurentii in eum 195.
Cherichinius Bernardinus 51.
Chizzolius Albertinus 51.

Coleo Bartholomaeus 22.
Collis Imperialis 147.
Comminefius Philippus 94.
Conjurationes in Mediceos 17. 30. 58. 117. Conjuratio Neapolitana 128.
Contuccius Andreas 143.
Conteſſinia Medicea 171.
Cornius Petrus Philippus 51. 81.
Corteſius Paullus 153.
Coſmi Medicei vices ac merita 2. 3. ſtudium in educandis nepotibus 13. in fovendis litteris 14. 194. 218. mors 17. de Sfortianis benemeritus 22. Faeſulanum templum aedificat 148. a Philelpho laceratur 193.
Coſmus II. Medices 220.
Credius Laurentius 143.
Criſollius Chriſtophorus Tudertinus Princeps 133.
Cronaca Simeon 146.
Cutignolenſes partem Faventinae ditionis uſurpant 179.

D

Dominicani S. Marci bibliotheca Laurentii donantur 154.
Dona a Laurentio Principibus viris miſſa 149.
Donata Lucretia 7.
---- Hieronymus 153.

E

Epictetus a Politiano interpretatus 156.

F

Fabronii 46. 73. 139.
Faeſulana villa 62. 164.
Farneſius Alexander, qui poſtea Paullus III. fuit, a Laurentio commendatur 191.
Faventinorum motus 176.
Fedinius Nicolaus 22.
Ferraria a Venetis bello tentatur 119.
Ferdinandus Neap. Rex 26. 29. 38. 46. Sixto IV. obnoxius 60. 80. bellum Florentinis movet 80. Genuenſes ſollicitat, ut a Mediolanenſibus deficiant 91. Laurentium excipit 102. erigit 107. foedus cum Florentinis paciſcitur 109. a Turcis vexatur 112. Florentinis oppida capta reddit 114. obſiſtit Venetis 120. bello a Pontifice & a Neapolitanis Regulis laceſſitur 129. Laurentium conſulit de aedibus conſtruendis 147. excommunica-

tur iterumque cum Pontifice bellum gerit 182. Florentiam legatos mittit ob mortem Laurentii 212. ejus praedictiones *ib.*
Ficinus Marſilius 14. 15. ejus praeconia de Laurentio 151. praemia ab illo habita 164. 165. Plotinum interpretatur 165. ejus mors 213.
Fidelis Caſſandra 194.
Florentinorum mores 33. 37. 100. 198. divitiae 34. 115. 181. commercium 182. ingenium in ſpectaculis edendis 37. cum Pontifice & Neapolitanis bellum gerunt 96. eorum timor & pericula 98. calamitates 99. adverſus Pontificem & Neapolitanum Regem bellum ſuſtinent 88. & ſeq. Romanae Eccleſiae reconciliantur 113. ſcientia rei militaris non admodum valebant 121. quomodo ſe geſſerint in Faventinis motibus 178.
Florentiola munita a Laurentio 148.
Fontius Bartholomaeus 55. 154.
Forum Cornelium 60. de eo occupando Florentini cogitant 89. dejicitur ab ejus dominatione Riarius Comes 175.
---- Livii 175.
Francus Matthaeus ejus laudes 195.
Franzeſius Neapoleo 61. 70.
Fregoſius Jo. Baptiſta 91. 124.
---- Thomas 136.
Freſcobaldius Jo. Baptiſta in Laurentium conjurat 117.
Fridericus Caeſar 83. 189.
---- Feltrius Urbini Princeps 23. 29. Volaterras expugnat 43. munera ob hanc rem 149. Sixto Pontifici adverſus Florentinos inſervit 88. 111. iterum ſtipendia Florentinorum meretur 121. ejus morbus & mors 123. curae de libris comparandis 154.

G

Gallorum in Italiam adventus quantas calamitates pepererit 212.
Galutius Ranuccius VIII.
Gentilis Urbinas 4. 81. Auctor Synodi Florentinae 82. Auximum legatur 174.
Genuenſes eorum fortuna 28. deficiunt a Mediolani Duce 91. eorum conatus de retinendo Sergiano 136.

Ghibertus

Ghibertus Laurentius 149.
Ginorius Georgius 32.
Gonzaga Rodulphus 88. 96.
Gattus Jo. Viterbienſis 133.
Graeci qui in Etruria commorabantur 7. 193. Graecae litterae quam Florentiae excultae 57. 219. Graeci artifices quando maxime excelluere 140. Graeca monumenta a Laurentio collecta 141.
Granaccius Franciſcus 143.
Graphices artes a Laurentio promotae 140. quam floruerint apud Graecos *ib.* num tempora pacifica iis conducant nec ne 141.
Graſſius Paris 214.
Grillandajus Dominicus 149.
Groſſius Nicolaus 151.
Guicciardinius Jacobus 96.
---- Aloyſius 112.
Guzzonius Bucolinus 174.

H

Hermolaus Barbarus 192.
Herodoti interpretatio 193.
Herodiani interpretatio 156.
Hippocratis interpretatio 165.
Homerus a Politiano interpretatus 56.
Hortum Novum a Florentinis emptum 136.
Horti Laurentiani provehendis artibus liberalibus deſtinati 141.
Hydruntum capitur 112.

I

IAnfiliatius Joannes 113.
Inſcriptiones veteres a Joanne Jucundo & Laurentio collectae 145.
Innocentius VIII. Pontifex eligitur 125. ejus in Laurentium ſtudium 126. 169. Neapolitanorum Regi bellum movet 128. declarationes amoris quas habuit a Laurentio 156. 167. Auximates ab eo deficiunt 174. Peruſinos in officio continet 179. iraſcitur Aſculanis 180. iterum cum Neapolitano Rege bellum gerit 187. Legatos Florentiam mittit ob interitum Laurentii 212.
Joannes II. Luſitanorum Rex 190.
Joannes Laurentii filius 168. ejus mores & ſtudia 169. 207. Cardinalis creatur & ſacerdotii augetur 196. Romam proficiſcitur 170. Miramundi & Montis Caſſini Abbatias obtinet 188.
Jucundus Jo. veterum inſcriptionum collector 145.

Julianus Medices 4. 15. 16. de illo creando Cardinali agitur 40. ejus laudes 55. 74. conjuratio in eum 58. interficitur 64.
—— Laurentii filius ejus laudes 171. 207.
Julius Medices qui poſtea Clemens VII. fuit 79. 172. Prioratum Capuae obtinet 189.

L

LAetus Pomponius 153.
Lancellottus Decius 51. 53. 81.
Landinius Chriſtophorus 15. ejus opus de Camaldulenſibus diſputationibus *ib.* ejus mors 113.
Lanfredinius Jacobus 133.
—— Joannes 191.
Laſcares Jo. 152.
Laurentiana Baſilica a quo aedificata 148.
Laurentius Medices Coſmi frater 3.
Laurentius Medices cognomento Magnificus 4. 6. ejus ortus & educatio 4. 5. ſpectaculorum & laboris amans 6. 19. 20. 33. 35. amatoriae poeſis cultor 8. quam bonus poeta 10. 163. Platonicorum ſtudioſus 12. 15. 144. 163. 165. poetarum 16. Neapoli honoratus 18. ejus nuptiae cum Clarice Urſinia 19. 24. patrem periculo mortis liberat 21. ei ſufficitur in adminiſtranda Republica 25. Ruperto Malateſtae favit 29. Conjurationes in eum 30. 88. 117. Galeatium Sfortiam excipit 35. Romam ad Sixtum IV. legatur 38. ejus curae in colligendis antiquitatis monumentis 39. 143. 145. negotia 38. 39. 182. de expugnandis Volaterris deliberat 40. ejus orationes 42. 71. 84. 95. 103. 131. beneficia in Volaterranos 45. auctoritas 46. 173. 179. 185. 188. 190. potentia 172. 188. 189. 190. quos conſiliarios adhibuerit 47. quam de Academia Piſana & de litteris meritus 48. 51. 55. 152. 155. 158. 193. 217. quam Pactiis aliiſque inviſus 58. quomodo in Pactiana conjuratione ſe ſe geſſerit 65. 71. & ſeq. ejus fortitudo 73. benignitas 75. 77. 192. providentia in apparando bello 88. curae in ſuſtinendo 97. Sfortianos magis magiſque ſibi conciliat 90. 92. ſtudium Galliarum Regis aliorumque Principum in eum 93.

169. 189. in maxima rerum anguſtia ad Neapolitanorum Regem confugit 101. quae ibi geſſerit 108. in Etruriam redit 110. ejus calliditas 112. 188. reconciliatur Pontifici 114. capta a Neapolitanis oppida recuperat *ib.* novis Magiſtratibus noviſque legibus Reip. conſulit 114. commercium provehit 115. 183. agriculturam 116. cuſtodias adhibet 119. conatus Venetorum, qui de occupanda Ferraria cogitabant, prohibet 120. legatur Cremonam 121. Vitelliis favet 123. 180. Ariminenſibus & Piſaurenſibus conſuluit 124. bellum parat ad recuperandum Sergianum 126. 135. Neapolitanorum Regi bello laceſſito mirum in modum opitulatur 131. pacem inter hunc & Pontificem conciliat 134. Sergianum proficiſcitur 135. capit 136. pacis artes provehit 137. maximeque architecturam 145. & ſeq. ejus munera 149. antiquos codices comparat 152. quae a Politiano obtinuerit 155., quam eſſet ſtudioſus religioſorum hominum 159. Mirandulae, Ficini & Politiani 164. ejus curae in educatione liberorum 166. 170. 171. in ſedandis diſcordiis Italicorum Principum 174. rebus Faventinis conſulit 178. adeſt Aſculanis, Tifernatibus & Peruſinis 180. legationem & munera a Sulthano Aegypti accipit 183. de Zyzimo Turcarum Regis fratre 183. & de ſedandis diſcordiis inter Pontificem & Neapol. Regem laborat 187. multorum in ſe ſuſcipit negotia 190. 191. quam bonus paterfamilias 194. quam otii & tranquillatis amans 197. morbi illius 197. conſilia & facta in vitae extremo tempore 198. mors & mores 206. quam deſideratus ab omnibus fuerit 212. ejus effigies, vitae genus & mores 215.

Lazarus Medicus Ticinenſis 203.

Leo X. 168. 214.

Leonius Petrus 51. ejus mors 113.

Lippius Philippus ejus ſepulcrum 150.

—— Laurentius 51.

Lucenſium fortuna 28. Petram Sanctam a Florentinis poſtulant 127. Florentinis irati 95.

Lucretia Medicea 171.

Digitized by Google

Ludovicus XI. Gallorum Rex 46. quam amicus Laurentio 78. 83. 169. & Florentinis 93. Legatio in Galliam ob ejus mortem 183.

M

Machiavellius Nicolaus 33. 43.
Maffejus Antonius 61. 76.
---- Raphael 76.
Magdalena Medicea Franciſco Cibo nupta 170. 194.
Mahometes Turcarum Rex 70. Neapolitanorum Regi bellum infert 112. moritur 183.
Majanus Benedictus 147.
---- Jaſon 53.
Malateſta Sigismundus ejus mores 29.
---- Rupertus 29. ejus virtus 30. 95. 96. mors 124.
---- Galeatius 194.
Malegonellius Petrus 41.
Manens Medicus a Laurentio reprehenſus 216.
Manfredius Aſtorres 60.
---- Galeottus ab uxore occiditur 177.
---- Thaddaeus 60.
---- Aſtorgius Galeotti filius 179.
---- Octavianus 179.
Marianus Genezanenſis 159.
Mareſcotti, homines in Aemilia potentes 139.
Medices Antonius 70. 113.
Medicea Maria 194.
Medicea familia quam florens 2. Mediceorum beneficia in Sfortianos 18. 35. eorum divitiae & liberalitas 35. 182. copiae 36. amor in liberales artes 151.
Medicina quo in ſtatu eſſet ſaeculo XV. 214.
Minerbettus Petrus 113.
Mirandula Picus 9. 12. aſtrologos confutat 15. ejus bibliotheca 152. ſtudia, doctrina & vices 163. beneficia a Laurentio accepta ib. 164. ejus mors 213.
Montonius Carolus 60. 96. moritur ib.
Monteſiccus Jo. Baptiſta 60. 62. 63. ejus mors 69. teſtimonium 83.
Montanus Cola 92.

N

Nardi Bernardus & Silveſter in Laurentium conjurant 30.
Napolitanum bellum 89. 187.
Neronius Dieteſalvius 17. 21. 30.

Norius Franciſcus 65.

O

Octo practicae 115.
Oddi Balionibus inimici 179.
Ordelaffi Foro Livio expulſi 114.
---- Antonius 175.
Oricellarius Bernardus 17.

P

Pactii conjurant in Mediceos 58. Jacobus conjurationis princeps *ib.* ejus mores 59. conatus 67. mors 68. Franciſci Pactii mores 59. ſcelera 61. 64. mors 68. de Pactiana conjuratione numiſma L. 149.
Pagninius Jo. Franciſcus VIII.
Palandrii 30.
Palmerius Matthias 193.
Pandectarum codex 219.
Panvinius 145.
Pannoniae Rex Matthias Corvinus 93. 149. ejus curae in comparandis codicibus 154. Florentinorum commercio ſavit 182.
Panormita Andreas 81.
Pandolfinius Dominicus 113.
---- Petrus Philippus 132.
Papienſis Card. 40. 47.
Paullus II. Pontifex 27. 29. 39. ejus mors 38. Platinam alioſque vexat 194.
Peruſia obſeditur a Florentinis 97. in officio ab Innocentio VIII. continetur 179.
Petruccius Caeſar 31. 66.
Petrus Medices Coſmi filius 4. conjurationes in ipſum 17. 20. ejus mors & mores 24.
---- Laurentii filius 52. ejus curae in comparandis codicibus 153. mores & ſtudia 167. 208. legatur Romam 167. Mediolanum 168. ejus nuptiae cum Alfonſina Urſinia 173. mores & facta poſt patris mortem 208. 209. mors 213.
Petra Sancta a Florentinis capitur 127.
Philelphus Franciſcus aſtrologiam irridet 15. operam ſuam Academiae Piſanae offert 30. Florentinae 55. quantis beneficiis a Laurentio affectus 193. ejus mores *ib.*
Philippus Decius 51.
Piancaldoli oppidum Reip. Flor. redditum 176.
Picininius Nicolaus 136.
Piſas Sfortiani cum militibus invadunt 92.

Piſana Academia per Laurentium renovata 48. ejus origo & vices *ib.* & ſeq.
Pitius Lucas conjurationis auctor 17. 21.
Pitiliani Comes Urſinius 178.
Platina Bartholomaeus 193.
Platonis imago ubi inventa 144. ejus opera interpretata 157. 165. 217. 218.
Platonicorum mos in diſputando 14. Academia 218.
Plotini interpretatio 165.
Plumbini Principatus quanti momenti eſſet 181.
Poeſis ejus ſtatus ſaeculo XV. 9.
Poggius Jacobus 61. 66.
Politianus Angelus 10. ejus vita 55. labores 57. opus de conjuratione Pactiana 58. Piſtorii confedit 87. ejus laudes de Leone Alberto 146. & ſeq. ejus bibliotheca 52. ejus ſtudia & labores in libris emendandis atque edendis 155. & ſeq. in interpretandis 156. carmina 157. mores difficillimi 158. praemia quae habuit a Laurentio 164. occupationes 165. ejus epiſtola de Laurentii morte 199. opus de Pandectis 219. mors 212.
Pontificum Romanorum artes 105.
Pontanus Jovianus 134.
Prodigia quae Laurentii mortem comitata ſunt 210.
Procuratores Communis 115.
Puccius Antonius 47. 127.
—— Dionyſius Faventiam legatur 178.
Pullarius Antonius 149. ejus numiſma de Pactiana conjuratione *ib.* & 1.

Q

Quercetana villa 164.

R

Riarius Hieronymus particeps conjurationis Pactianae 59. 69. quam Laurentio infenſus 101. 111. 114. 118. ejus ambitio exagitata 105. ejus timores 114. a Venetis tentatur 116. iis reſiſtit 121. ſtimulat Neapolitanos a deficiendo a Rege 128. interficitur 175.
—— Raphael Card. 62. 65. 77.
—— Octavianus 176.
Ridolfus Antonius 112.
—— Petrus 171.
Rinuccius a Martiano 178.
Roſcius Hieronymus 144.
—— Joannes 153.

Ruſticus Jo. Franciſcus 143.

S

Salernum deficit a Neap. Rege 129.
Salviatus Franciſcus Archiepiſcopus Piſanus 59. 64. ejus ſcelera 66. mors 68.
—— Averardus 75.
—— Jacobus 76. 171.
Sandeus Felinus 31.
Sangallius Julianus 144. 147.
Sannazarius Actius Syncerus 113.
Sanſeverinas Rupertus 23. 32. 129. de occupando Neapoli cogitat 132.
Savonarola Hieronymus 160. ejus mores & ſtudia 161. ad Laurentium morti proximum venit 205.
Scala Bartholomaeus excuſatio adverſus Sixtum IV. 83. contentiones cum Politiano 158.
Scholaſtica philoſophia Platonicae cedere coacta 218.
Senenſium fortuna 28. hoſtibus Florentinorum favent 89. Calabriae Duci parent 111. de iis ſubigendis Laurentius cogitat 180. hunc honorant 181.
Sergianum Florentinis eripitur 108. de illo recuperando agitur 110. 124. capitur 136. ejus vices *ib.*
Sermoneta Alexander 51.
Serriſtorius Jo. 132.
Sfortia Galeatius Maria 18. 23. ejus mores 26. Genuenſibus dominatur 28. ejus Florentiam adventus 35. Foro Cornelio potitur 60. interficitur 90. Galeatius ejus filius ſorori opitulatur 176.
—— Ludovicus 90. Piſas exul venit 91. in hanc urbem invadit 92. Mediolanenſibus imperat *ib.* Venetis obſiſtit 120. favet 122. cum iis pacem facit 125. Neapolitanis auxilia fert 132. ambitio & mores 186. 212.
—— Conſtantius Piſauri Dominus 95. 121. ejus mors 124.
—— Catharina Riarii Comitis uxor 175. a Laurentio adjuta 190.
Signorellius Lucas 149.
Simonetta Franciſcus 90.
Sixtus IV. Pontifex eligitur 38. ejus beneficia in Laurentium 39. in Academiam Piſanam 51. conjurationis Pactianae particeps 59. ira 77. 82. 111. 125. facta 79. lata ab eo ex-

communicatio *ib.* Florentinis bellum movet 80. Synodus adverſus eum 82. Florentinorum legatio ad eum 111. 112. illos Romanae Eccleſiae reconciliat 113. Venetis in bello Ferrarienſi favet 120. Vitelliis adverſatur 123. de occupando Arimino & Piſauro cogitat 124. moritur 125. ejus avaritia 149.
Soccinius Bartholomaeus 51. 52. 81. 216.
Soderinius Nicolaus 17.
---- Thomas 24. ejus oratio 25. 41. conſilia 47. 90. 110.
---- Franciſcus 112.
Soggius Nicolaus 143.
Spectacula Florentiae edita 6. 11. 19. 20. 37.
S. Spiritus aedes conflagratae 37.
Sulthanus Aegypti 182. legatum & munera Laurentio mittit 183.
Synodus Florentina adverſus Sixtum IV. 82.

T

Tifernum 60. 120. 123.
Tignoſius Nicolaus 51.
Tollentinas Franciſcus 72.
Tornabonia Lucretia 4. ejus pietas 5. in poeſin amor 16.
---- Joannes Tornabonius 38. 113. 193.
Torrigianius Torrigianus 143.
Toſcanella Paullus aſtronomus 218.
Trivultius 88.
Turrianus Jo. Franciſcus 153.

V

Valla Laurentius 156.
Valorius Bartholomaeus 15.
---- Nicolaus 132. 144.
Vaſarius Georgius 143.
Ubaldinia familia in Aemilia potens 139.
---- Joachim Ubaldinius 176.
Veneti eorum potentia & ambitio 25. 104. 119. 187. Neapolitanorum Regi infenſi 39. Florentinos juvant 95. Ferrariam occupare conantur 119. eorum artes in conciliando ſibi ſtudio Riarii Comitis *ib.* pacem cum Ferrariae Duce aliiſque faciunt 123. conjuratis Neapolitanis ſecreto favent 129.
Veſpuccius Guido Antonius 95. 113. 114.
---- Americus 196.
Ugolettus Thaddaeus 154.
Ugolinius Baccius 120.

Vice-

Vicecomes Albertus 88.
Victorius Petrus 155.
Vitellius Nicolaus 61. 120. 123. 133.
—— Laurentius 17.
—— Jo. & Cammillus 133. 173. a Laurentio ſuſtentantur 180.
Volpaja Laurentius 218.
Volaterrani belli cauſſa 40. hiſtoria 42. exitus 44.
Urſinii quam potentes 19. Neapolitanorum Regis partes ſequuntur 130.
—— Rupertus Urſinius 23.
—— Curradus & Nicolaus Florentinorum Duces 88. 134.
—— Clarix 19. 24. 158. ejus mors 194. ſomnium 168.
—— Raynaldus Archiepſcopus Florentinus 171.
—— Alfonſinia Urſinia Petri Medicis uxor 173.
—— Virginius 173.

Z

Zyzimus Mahometis filius ad imperium Conſtantinopolitanum adſpirat 184. ejus vices & mors 185.

FINIS.

ERRATA CORRIGE

Pag.	lin.		
2.	16.	Ac	Atque
13.	21.	Joannem Baptiſtam	Leonem Baptiſtam
17.	*in fin.*	Quamvis	Quanquam
27.	26.	quam	potius quam
29.	24.	Urbinatium Dux	Urbinatium Comes
46.	8.	Gallorum Regis	Ludovici Gallorum Regis
72.	25.	videbatur.	videbantur.
115.	14.	Nullum enim in Italia erat imperium, quod	Nulla enim in Italia erat natio, quae
118.	7.	promitteus Freſcobaldius	promittente Freſcobaldio
119.	18.	trahique	adducique
135.	26.	deditios	dedititios
153.	4.	florena exsoluta	florenos exſolutos
168.	26.	gubernavit.	tenuit.
176.	2.	Galeatius Maria	*deme* Maria
190.	5.	Maximilianus	Fridericus
195.	20.	erat	erant

196. in princ. *Inter eos, qui Laurentii erant ab epiſtolis, numerari quoque potuiſſent Bernardus Tarlatus ſeu Divitius Petri frater, qui poſtea Cardinalis fuit & Bernardus Michelottius, quem elegantiſſimi ingenii hominem Politianus appellat.*

VA1
151.9851

Digitized by Google

Digitized by Google

128.
N.
35.

Digitized by Google